
HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

DE APOCALYPSIS S. PAVLI CODICIBVS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS WIEBER
HOFBIEBERANUS

MARPURGI CATTORUM
TYPIS HENRICI BAUER
MDCCCCIV

DISSERTATIO REFERENTE THEODORO BIRT AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE DIE I. MENSIS JUNII A. MDCCCCIV ADPROBATA

PETRO NOLL

PIETATIS ERGO

S.

I. De ratione quae intercedat inter apocalypsis s. Pauli codices.

Multae apud scriptores ecclesiasticos commemorantur apocalypses, quarum parvus tantum numerus ad nos descendit.[1]) Notissima est apocalypsis s. Johannis, quae quidem maximam habet auctoritatem atque ab ecclesia est recepta. Praeter hanc multae aliae primis religionis Christianae temporibus sunt ortae, quas tamen apocryphas esse inter omnes constat. In eo numero etiam apocalypsis s. Pauli est, ad quam tractandam denuoque edendam Birtius me invitavit; quae quidem mirum in modum placuisse atque iterum iterumque esse lectitata videtur; nam inde a tempore, quo prodiit, usque ad mediam aetatem exstant scriptorum testimonia, quibus id comprobatur.

Audiamus, quid veteres scriptores ecclesiastici de hoc libro iudicaverint. Sozomenus haec refert[2]): *τὴν δὲ νῦν ὡς ἀποκάλυψιν Παύλου τοῦ ἀποστόλου φερομένην, ἣν οὐδεὶς ἀρχαίων εἶδε, πλεῖστοι μοναχῶν ἐπαινοῦσιν· ἐπὶ ταύτης δὲ τῆς βασιλείας ἰσχυρίζονταί τινες ταύτην ηὑρῆσθαι τὴν βίβλον· λέγουσι γὰρ ἐκ θείας ἐπιφανείας ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας κατὰ τὴν οἰκίαν Παύλου μαρμαρίνην λάρνακα ὑπὸ γῆν εὑρεθῆναι καὶ ἐν αὐτῇ τὴν βίβλον εἶναι. ἐρομένῳ δέ μοι περὶ τούτου ψεῦδος ἔφησεν εἶναι Κίλιξ πρεσβύτερος τῆς ἐν Ταρσῷ ἐκκλησίας· γεγονέναι μὴν γὰρ πολλῶν ἐτῶν καὶ ἡ πολιὰ τὸν ἄνδρα ἐδείκνυεν· ἔλεγε δὲ μηδὲν τοιοῦτον ἐπίστασθαι παρ' αὐτοῖς συμβάν, θαυμάζειν τε εἰ μὴ τάδε πρὸς αἱρετικῶν ἀναπέπλασται.* Deinde

1) Herzog, Realencyklopädie I pag. 669.

2) Hist. eccl. VII, 19.

Augustinus hanc apocalypsim hisce commemorat verbis[1]: „Quamquam et inter ipsos spiritales sunt utique aliis alii capaciores atque meliores, ita ut quidam illorum ad ea pervenerit quae non licet homini loqui. Qua occasione vani quidam apocalypsim Pauli, quam sane non recipit ecclesia, nescio quibus fabulis plenam stultissima praesumtione finxerunt dicentes hanc esse unde dixerat raptum se fuisse in tertium caelum et illic audisse ineffabilia verba, quae non licet homini loqui. Utcumque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset quae adhuc non licet homini loqui. Cum vero dixerit quae non licet homini loqui, isti qui sunt qui haec audeant impudenter et infeliciter loqui?“ Praeterea autem Epiphanius tradit[2]) apud Caianos, qui ad Gnosticorum pertinent haeresim, librum fuisse in usu, cui esset titulus *Ἀναβατικὸν Παύλου*; idem dicit Mich. Glycas.[3]) Quibus ex testimoniis omnes fere viri docti, qui de hac re verba fecerunt, duos inter se differentes libros olim exstitisse collegerunt. Non tamen potest disceptari, quae fuerit ratio inter utrumque librum. Praeter eos quos supra attuli auctores multi alii apocalypsim s. Pauli commemorant velut Gelasius in decreto de libris apocryphis servato. Deinde Theophylactus et Oecumenius II epistulam Pauli ad Corinthios missam interpretantes adnotant ex verbis *ἄρρητα ῥήματα ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι* hanc apocalypsim suppositam esse manifestissime concludi. Quamquam vero scriptores — ut modo vidimus — hunc librum improbabant, tamen efficere non poterant, ut ab usu removeretur. Atque imprimis lectitatus esse videtur in iis regionibus, quae ad orientem solem vergunt, id quod elucet ex hisce verbis, quae ineunte saeculo XIII Marcus patriarcha Alexandrinus ad Theodorum Balsamonem de hac apocalypsi direxit[4]):

1) In Joh. evang. tract. 98.

2) Epiphanius, haer. 38.

3) Annal. pars II, pag. 120.

4) cf. Fabricius, codex apocr. Novi Testamenti tom. I, pag. 949.

Βιβλία διάφορα εὑρίσκονται εἰς τὰς ἀνατολικὰς καὶ νοτίους χώρας, καὶ τὰ μὲν ὀνομάζονται διδασκαλίαι τῶν ἁγίων ἀποστόλων τὰ δὲ ὁράσεις τοῦ ἁγίου Παύλου· ἐρωτῶ οὖν εἰ ὀφείλομεν ἀναγινώσκειν αὐτά. Balsamo respondet hos libros fictos esse ab haereticis. [1]) Tamen oblivione non esse obrutam hanc apocalypsim in regionibus, quas Marcum designavisse modo legimus, testis est Elias du Pin, qui hunc librum etiamnum apud Coptos in usu esse docuit. [2])

Quod vero esset argumentum apocalypsis s. Pauli perdiu viris doctis ignotum erat. Inde enim, quod a monachis librum in deliciis habitum esse Sozomenus refert, concludebant praecepta vitae monasticae in apocalypsi fuisse comprehensa. [3]) Itaque Ernestus Grabe cum Oxonii in bibliotheca Collegii Mertonensis eruisset codicem, cui erat inscriptio: „Revelatio s. Pauli his tribus diebus quum conversus et vocatus a Christo cecidit in terram nihil videns ostensa sibi per s. Michaelem de poenis multiplicibus purgatorii et inferni horribilibus, et quis primus impetravit a domino requiem animabus in purgatorio permanentibus in singulis diebus dominicis usque finem mundi subsequentibus“ de hoc textu ita iudicavit[4]): „Attamen hanc a recentiore quodam mangone confictam nec eandem esse cum priori a patribus seculi V reiecta apocalypsi inde suspicari licet, quod Augustinus dicat in ista fuisse tradita ea quae Paulo in tertium caelum rapto fuere revelata, cum contra in illa manuscripta dicatur quod Paulus apostolus et Michael archangelus exierint ad infernum, ut hic illi tormenta animarum ostenderet.“ Num recte existimaverit vir doctus, postea videbimus. Antea enim nobis recensenda sunt, quae novissimis his annis de apocalypsi s. Pauli sint exquisita. Primo loco nominandus est Tischendorfius optime de hisce litteris meritus, qui

1) cf. Fabricius l. l. pag. 950.
2) Proleg. Bibl. tom. II, pag. 49.
3) cf. Fabricius l. l. pag. 945, adn. e.
4) Grabe, Spicilegium SS. Patrum I, 85.

anno 1843 hanc apocalypsim Graece scriptam in lucem protulit; editio anno 1866 Lipsiae prodiit. Duo ei praesto fuerunt codices, Ambrosianus saec. XV et Monacensis saec. XIII; alter alterius est archetypus. Deinde commemorandi sunt duo libri Syriaci haud multum inter se differentes, quorum alterum Perkins in Anglicam [1]), alterum Zingerle in Germanicam [2]) vertit linguam. Quo de textu Syriaco Tischendorfius haec disseruit [3]): „Utrumque textum (sc. Graecum et Syriacum) comparanti non potest dubium esse, quin Graeca antiquiorem et puriorem Syriacis libri formam conservaverint. Ita enim vero in his maxime libris fieri consuevit, ut orientalium ingenia libere excolerent, quae accepissent a Graecis . . . Tamen passim Syriaca Graecum textum videntur supplere, quemadmodum sola extremam partem praebent integram.“ Hoc Tischendorfii iudicium de Syriaco libro. Tum Brandesius anno 1885 Halae emisit librum „Visio s. Pauli“ inscriptum; quo in libro vir doctus cum de aliis rebus tum de nonnullis textibus Latinis refert, quos, quamquam haud raro a Graeco et Syriaco discrepant, tamen cum illis libris cohaerere non potest negari. Denique anno 1893 a Jamesio textus in lucem editus est, qui inscribitur: „Visio sancti Pauli apostoli“.[4]) Codex, ex quo Jamesius editionem fecit, est Parisinus Nouv. acq. Lat. 1631. Constat ex duabus partibus, quarum altera saec. VIII scripta hanc praebet apocalypsim (ff. 2′—25). Qui liber sat magni est momenti, cum permulta exhibeat, quae, quamquam non

---

1) Versio Anglica exstat in „the Journal of Sacred Literature and Biblical Record, edited by B. H. Cowper“, pag. 372 sqq.; praeterea in „the Journal of the American Oriental Society“, vol. VIII (1864); denique invenitur in Tischendorfii editione sub textu Graeco.

2) Germanica versio typis expressa est in Heidenheimii ephemeridibus theologicis, vol. IV, pag. 139 sqq.

3) Tischendorf, Apocalypses apocryphae pag. XVII.

4) Texts and Studies contributions to Biblical and Patristic Literature, vol. II, No. 3: Apocrypha anecdota (Cambridge 1893) pag. 11 sqq.

exstant neque in Graeco neque in Syriaco textu, tamen ad archetypum spectare videntur. Accedit quod multa insunt, quae iis, qui in Latinitatem serioris aetatis inquirunt, valde sunt exoptata.

Quae cum ita sint, quoniam tot apocalypsis textus inter se differentes exstant, primum quidem operae mihi videtur esse pretium quaestionem instituere, qui textus ad primariam apocalypsis formam proxime accedat. Cum vero textus Latini, quorum editionem Brandesio debemus, vel maxime abhorreant a reliquis, disputationem ita instituam, ut priore capite librum Parisinum cum Graeco et Syro comparem, altero capite de illis textibus Latinis a Brandesio editis agam.

1.

Primo obtutu apparet Graecum librum angustiorem esse Syriaco, utroque vero uberiorem Latinum, quem designavi Parisinum. Diiudicandum ergo nobis est, utrum Graecus textus archetypus sit, ceteri vero libri ex libidine interpretum sint aucti, an Graecus in brevius sit contractus; quod si ita est, nova suboritur quaestio, utrum Parisinus propius accedat ad archetypum an Syrus. Ut certa hac in re iudicia facere valeamus, quasdam leges statuam, quibus confidere possimus. Ac primum quidem quaerendum est, num ex consensione Syri et Parisini libri aliquid certi possit concludi; neque enim licebit, si consensio invenitur inter utrumque, ex hac re coniecturam facere de archetypo, siquidem cogitari potest utrumque textum ex eodem codice interpolato esse ortum. At, si in Graeco et Syriaco locos invenimus, qui in Parisino non exstant, atque in Graeco et Parisino, qui in Syriaco desiderantur, tum verisimillimum est omnes hos codices ex eodem fere fluxisse fonte. Atque profecto res ita esse videtur. Syriacus enim haud paucis locis discedit a Graeco et Parisino, quod primo obtutu apparet, si hos testes in comparationem vocaveris: nam nonnullae partes in Syriaco omnino

desunt; praeterea autem sat multi loci in eodem libro inveniuntur, qui prorsus abhorrent a Graeco et Parisino. Sed iam videamus, num Graecus quoque et Syrus locos praebeant, quos in Parisino desideremus. Qua in quaestione diiudicanda pusillas tantum et perpaucas res in medium proferre possumus, cum Parisinus liber uberior sit ceteris. Ac primum quidem nonnulla verba cap. XIX comparanda propono. Verba Graeca sunt haec: *καὶ ἴδον πύλην χρυσέην, καὶ δύο στύλους χρυσέους ἔμπροσθεν αὐτῆς, καὶ δύο πλάκας χρυσέας ἐπάνω αὐτῆς πλήρεις γραμμάτων.* Graecis accurate respondent Syriaca[1]: „ich betrachtete sie (sc. die Pforte) und sah, dass sie reinem Golde glich. Vor ihr standen zwei Säulen wie von Diamant und darauf waren zwei beschriebene Tafeln.“ Quae tabulae in Parisino hoc loco non sunt commemoratae, ibi enim exstant haec: „et intendens vidi, et erat porta aurea, et duae columnae aureae plene desuper literis aureis“. Alter locus, quo Graecus et Syriacus demonstrant perpauca in Parisino esse omissa, exstat in cap. XXXIV, ubi in Graeco libro haec leguntur: *καὶ ἐν αὐτῷ* (sc. *σιδήρῳ*) *ἀνέφερεν τὰ ἔντερα τοῦ γέροντος ἐκείνου διὰ τοῦ στόματος αὐτοῦ*, quibus ad verbum Syriaca respondent[2]; in Latino vero haec tantum inveniuntur: „de quo (sc. ferro) perfodiebant viscera senis illius“.

Tam pauca et pusilla ergo sunt, quibus Graecus et Syriacus contra Parisinum veriorem archetypi praebent formam, ut vix operae pretium esse videatur de hac re verba fecisse. Unde tamen id probatum esse putaverim ex consensione duorum codicum coniecturam fieri posse de archetypo. Cum vero non semper accidat ut bini libri consentiant, plures leges statuere opus est. Ac primum quidem non potest esse dubium, quin si qui locus textus Parisini in Graeco quidem non exstat, tamen vero, si huic libro inseritur, verborum contextum meliorem reddere vide-

1) **Heidenheim**, Vierteljahrsschrift, tom. IV, pag. 153 sq.
2) cf. **Heidenheim** l. l. pag. 165.

tur, archetypo sit tribuendus. Praeterea enuntiata quoque libri Parisini, quae magis ad usum linguae Graecae quam Latinae spectant, satis probant hanc partem in archetypo exstitisse.

Hisce praemissis iam singula librorum capita perlustrantes iudicium facere conemur de archetypo. Non vero omnes differentias tractare volo sed eas tantum, quae maxime notabiles videntur. Atque ex primis verbis exordium sumentes textus iam in contrarium discedere videmus. Nam in Parisini initio invenimus primos quinque versus capitis XII alterius epistulae Pauli ad Corinthios missae, qui versus verbotenus conspirant cum editione, quae vulgata nominari solet. In Graeco autem textu pauca tantum hoc loco leguntur verba, quae tamen ad eosdem illius epistulae versus spectant. Syri denique libri hic nihil habent, quod respondeat, neque in iis, quae sequuntur, cum illis textibus consentiunt; Parisinus enim et Graecus primis capitibus exhibent, quo mirabili modo Tarsi, in Ciliciae urbe, haec apocalypsis sit inventa, quae res in Syris libris in fine apocalypsis narratur. Etiam quo anno hanc apocalypsim inventam esse finxerint, ex Parisino et Graeco concluditur, quibus in libris ipsius anni consules nominantur. In Graeco alterius consulis nomen falso est traditum, ibi enim leguntur verba: *ἐπὶ τῆς ὑπατείας Θεοδοσίου τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως καὶ Κωντιανοῦ.* Cum vero nomen *Κωντιανοῦ* non exstet, Tischendorfius *Γρατιανοῦ* coniecerat, quae coniectura, ex quo Parisinus emissus est, falsam se praestitit; hoc enim ex libro Theodosium et Cynegium tunc consules fuisse apparet, quos anno 388 consulatum administrasse scimus ex fastis consularibus.[1]) Quod optime consentit cum tempore apud Sozomenum commemorato, qui de apocalypsi Pauli verba faciens inventam eam esse refert *ἐπὶ ταύτης* (sc. Theodosii) *τῆς βασιλείας.*[2])

---

1) cf. Baiter, fasti consul. triumph. Rom. pag. CXXV.
2) Hist. eccl. VII, 19.

A cap. III apocalypsis ipsa initium sumit. Ac primum quidem homines, ut ad virtutem redeant, admonentur. Sol, luna, stellae, itemque terra et mare iniurias hominum conquesta esse narrantur et a Deo petivisse, ut mundum deleri iuberet. Quibus Deus respondet se patientia in homines usurum esse atque mutaturos eos esse mores suos confidere (capp. IV, V, VI). Hisce in rebus describendis textus satis inter se respondent, nisi quod in fine uniuscuiusque capitis parva exstat differentia. Cum enim in Graeco libro legantur verba: *εἰ δὲ μή* (sc. *μετανοήσουσιν*), *ἐλεύσονται πρός με κἀγὼ αὐτοὺς κρινῶ*, in Parisino, quocum Syrus consentit, haec exstant: „sin vero non revertuntur ad me, ego eos iudicabo". Statuendum ergo est auctorem Graeci textus paululum discessisse ab archetypo. Maior autem librorum discrepantia occurrit in cap. VI, ubi Graecus textus mare solum homines conquestum esse commemorat, Parisinus autem tres partes praebet: primo mare deinde aquas postremo terram in scenam facit prodire; Syrus duas partes: in altera mare et flumina profert, in altera terram. De secunda textus Parisini parte certum iudicium facere non possumus, quod de tertia parte licet: nam etiamsi non observaveris terrae querelam optime quadrare ad sententiarum contextum, iam ex consensione Syri et Parisini satis apparet hoc ex archetypo fluxisse.

Ex cap. VII novae narrationis initium fit. Homines admonentur, ut semper Deo benedicant, imprimis iis horis, quibus angeli hominum opera Deo proferant; atque haec accurate describuntur: primo iustorum angeli adveniunt, deinde monachorum, postremo peccatorum (capp. VII — IX). Quae narratio in eo tantum codice Syriaco desideratur, qui Zingerleio interpreti praesto erat. Anglica quoque versio Syri textus non plene respondet Graeco et Parisino; sed ne hi quidem libri consentiunt, Parisinus enim plura exhibet quam Graecus, quae libro primario tribuenda esse versio Anglica Syri textus probat. Atque

ut exemplo utar, ex consensione horum librorum patet in Graeco omissum esse angelos hora matutina quoque hominum opera Deo proferre.

Cap. VIII, quod in neutro codice Syriaco invenitur, describuntur angeli, qui de iustorum operibus Deo referunt, atque in capite sequenti angeli in scenam prodeunt, qui de monachorum actis referunt. Prior pars in Parisino desideratur, quae omissio facillime declarari potest ex verbis in utraque descriptione repetitis „responderunt et dixerunt“, quibus error natus est; nam verba *καὶ ἀποκριθέντες εἶπον* in Graeco quoque bis sunt posita.

A cap. XI iterum nova pars initium capit. Angelus enim apparet, qui Paulum ad sequendum invitat, ut videat et iustorum gaudia et peccatorum poenas. Ac primum quidem apostolus videt angelos, qui hora mortis ad impios mittuntur, quos angelos Parisinus et Syrus ita describunt, ut plura praebeant quam Graecus. Deinde (cap. XII) alios angelos aspicit, qui iustos mortuos ad Dei thronum ducere solent. Capp. seqq. mors iusti hominis describitur et peccatoris et iudicium de utroque factum. Textus Graecus magnam partem cap. XIV non praebet. Hoc loco in Latino et Syro narratur, quomodo anima sancta a malis angelis retineatur et, postquam iusta inventa sit, in caelum ducatur ibique a Deo iudicetur. De hisce, quae in Graeco non exstant, iam Tischendorfius in editione ita disseruit[1]): „Sunt eiusmodi, ut vix soli interpreti Syro adscribenda videantur.“ Eum recte iudicavisse ex consensu Syrae et Parisinae versionis patet. Praeterea idem ex Graeco ipso concludere licet, cum postea in descriptione animae impiae morientis similia habeat. Non ergo iam dubitari potest, quin haec narratio in archetypo exstiterit. Certamen vero, quod inter angelos bonos et malos propter iustam agitur animam, in Syro multo uberius et plenius explicatur quam in Parisino libro; quapropter Brandesius

1) Tischendorf l. l. pag. 42.

recte iudicavisse videtur haec a Syro interprete esse addita.[1])

Cap. XVII Parisinus et Graecus satis inter se respondent. Syrus autem brevior est neque rectum sese praebet; ac primum quidem anima hic commemorata eadem esse narratur, quae antea mortua est, quod falsum esse ex ipsis animae verbis[2]) „Sieben Tage sind es, seitdem ich aus meinem Leibe gefahren" clare elucet. Item in fine capitis Syrus discedit a ceteris textibus.

Postquam haec descripta sunt, libri Paulum ad loca iustorum esse ductum narrant ibique ab Enoch salutatum (capp. XIX, XX). Praeterea autem Parisinus et Syrus referunt Eliam quoque apostolum esse amplexum, quod in Graeco non exhibetur. Tischendorfius ad hanc partem adnotavit haec[3]): „Quae iam sequuntur, de suo interpretem addidisse patet; Eliam enim ipse scriptor post demum in scenam facit prodire." Tamen hanc partem ad archetypum spectare ex miro interpretis Parisini errore apparet; hic enim non de Elia sed de Sole verba facit, cum vocabula *ηλιον* et *ηλιαν* confuderit.

Deinde in Graeco desunt, quae in Parisini editione pag. 23. 5—25 inveniuntur. Sed hanc quoque partem in archetypo exstitisse mihi certum videtur, cum nexus sententiarum in Graeco minime placeat; potquam enim ibi arbores descriptae sunt, Paulus interrogat: *τί ἐστιν τοῦτο, κύριε;* ad quod angelus praeter exspectationem respondet: *αὕτη ἐστὶν ἡ ἀχέρουσα λίμνη.* Haec certe responsio aliquid habet offensionis, cum antea de lacu nihil sit dictum. In Parisino contra omnia bene cohaerent. Nam hic primum angelus apostolo quid sibi velint illae arbores explicat, deinde autem eum in alium ducit locum, in quo „lacum acerosium" vident.

1) Brandes, Visio s. Pauli, pag. 7.
2) cf. Heidenheim l. l. pag. 152.
3) Tischendorf l. l. pag. 49.

Prope lacum civitas Christi est, cuius urbis descriptio in ceteris textibus multo latius peragitur quam in Graeco. Neque deest argumentum, quod probet Graecum textum rursus in brevius esse contractum; gravissimum enim testimonium inde sumitur, quod in Parisino libro (pag. 24. 7) pro turribus, quae in omnibus textibus praeter Graecum memorantur, vocabulum „pigre" traditum est, quod Jamesius optimo iure in „pirgi" mutavit, unde probatur interpretem illud vocabulum pro Graeco *πύργοι* sine ulla mutatione in textum recepisse.

Neque in cap. XXIV Graecus plenum sese praebet. Quae enim in Parisini libri editione pag. 24. 32—25. 4 leguntur, ea in archetypo quoque, ex quo Graeci libri auctor hausit, exstitisse vocabulum *ναί* probare mihi videtur; nam in hoc libro antecedit interrogatio: *τίνες εἰσὶν οὗτοι;* quae ad verba vocabulo *ναί* minime responderi potest, sed melius quadrat haec responsio ad verba, quae paulo post in Parisino leguntur, in Graeco vero desiderantur: „Domine, quid? ergo superbia eorum proibuit eos ingredi in civitatem Christi?"

In cap. XXV error auctoris libri Graeci invenitur, quo iterum probatur eum textum ex libidine permutavisse. Paulus enim ab angelo ad prophetas ductus in Parisino interrogat: „Que est via haec?" quae ad verba angelus respondet: „Haec est via prophetarum." Si vero comparaveris textum Graecum, invenies ibi nihil de via esse dictum, sed occurrunt haec verba: *ἐγὼ δὲ εἶπον τῷ ἀγγέλῳ· κύριε, τίνες εἰσὶν οὗτοι; καὶ εἶπέν μοι· οὗτοί εἰσιν πάντες οἱ προφῆται, καὶ αἱ ᾠδαὶ αὗται πασῶν τῶν προφητειῶν* (codd.: *προφητῶν*!). Dubitari non potest, quin lectio Latina, quae in ceteris quoque libris exstat, sola sit vera. Quae res notabilis ita tantum declarari potest, ut fingamus auctorem Graeci libri textum permutantem vocabula *ᾠδαί* et *ὁδοί* confudisse.

Neque in seq. cap. Graecus textus formam archetypi servavit, cum non commemoret prope lactis flumen cum

infantibus ab Herode occisis alios quoque versari iustos, quod in ceteris libris legitur. Id vero libro primario tribuendum esse imprimis ex comparatione capp. XXV, XXVII, XXVIII concluditur, ubi Graecus ipse quoque narrat praeter patriarchas et prophetas etiam alios ibi commorari iustos homines; praeterea etiam locutionis vestigio, quod in Parisini editione pag. 26. 3 exstat, probatur hanc capitis partem ex aliquo libro Graeco fluxisse; ibi enim legitur: „salutant eos dicentes quia Fratres nostri sunt et amici et membra," unde patet interpretem Latinum vocabulum Graecum *ὅτι*, quo oratio directa inchoatur, vocabulo „quia" vertisse.

Iam vero ad aliam, quae intercedit inter singulos libros, differentiam accedamus. Textus enim in designatione regionis, qua Paulus cum angelo versatur, hac in apocalypsis parte prorsus inter se dissentiunt. In initio cap. XXVI Graecus liber haec exhibet: *καὶ ἀπήγαγέν με ὁ ἄγγελος ἐκ νότου τῆς πόλεως, ἔνθα ἐστὶν ὁ ποταμὸς τοῦ γάλακτος;* quibus verbis in Syro respondent haec[1]): „Darauf führte er mich gegen Süden der Stadt und ich sah dort einen anderen Strom"; Graecus ergo narrat Paulum ex regione meridiana abductum esse, cum contra in Syro referatur eum illuc esse deductum. Cum vero Parisinus hoc loco nihil habeat, quod respondeat, nondum licet certum facere iudicium. Sed iam, ut de hac re coniecturam facere possimus, similes exquiramus locos, qui in Parisino quoque leguntur. Ac primum quidem locum cap. XXVIII in comparationem vocare volo, ubi Graecus haec praebet: *καὶ πάλιν ἀπήγαγέν με εἰς ἕτερον τόπον, καὶ ἴδον ἐκεῖ ποταμὸν ἐλαιόμορφον ἐκ βορρᾶ τῆς πόλεως.* Respondet Syrus hisce verbis[2]): „Nun führte er mich an die Nordseite der Stadt." Hoc loco Syrus et Graecus consentiunt. Sed in Parisini quoque archetypo eadem exstitisse videntur verba, quae interpres male ita vertit:

1) cf. Heidenheim l. l. pag. 160.
2) cf. Heidenheim l. l. pag. 161.

„Et iterum tulit me iusta flumen olei a borea[1]) civitatis.“ Accedit denique similis locus in cap. XXXI, ubi in Graeco haec invenimus: *καὶ ἦρέν με ἐκ δυσμῶν ἡλίου.* In Syro autem exstant haec[2]): „Und er führte mich gegen Sonnenuntergang hin“, quibuscum Parisini verba consentiunt, unde concludere licet Graecam lectionem esse falsam. Hic autem error facile explicatur, si consideramus auctorem huius libri prae se habuisse textum pleniorem, in quo legerit et unde et quo apostolus ab angelo sit ductus; quem textum mutans atque in brevius contrahens has caeli regiones confudit. Re vera Graecum textum esse mutatum clare sentitur ex primis verbis cap. XXVII: *καὶ ἦρέν με πάλιν ὁ ἄγγελος ἐξ ἀμφηλίου* (sic in libris!) *πόλεως, καὶ ἴδον ἐκεῖ . . . .*“; nam illud *ἐκεῖ* necessario postulat designationem loci, ubi haec viderit. Cum ergo in ceteris libris de regione plerumque nil certi sit traditum, Syrus vero non solum nusquam contradictionem praebeat, sed apostolum ex parte meridiana deductum esse narret in partem orientis et inde in partem septentrionalem, qui ordo arridet, dubium non esse videtur, quin Syra lectio hisce in rebus sit praeferenda.

Sed iam hisce absolutis pergamus cetera perlustrare capita. Ea, quibus in capp. XXIX et XXX Parisinus et Syriacus Graecum textum augent, ad archetypum spectare patet ex illorum librorum consensione.

A cap. XXXI nova pars revelationis incipit, qua apostolo poenae peccatorum ostenduntur. Primum Paulus fluvium videt, in quo peccatores demersi sunt; atque exstant, prout quisque peccavit, diversi demersionis gradus, de quibus tamen libri non satis consentiunt; in Parisino enim quattuor commemorantur genera, quibus in ceteris textibus tria tantum respondent; sed ne haec quidem tria genera, quae in Graeco et Syro inveniuntur, inter se

1) Sic scribendum esse probat Graecus; in cod. exstat „ab orae“. Iamesius edidit „ab oriente“.

2) cf. Heidenheim l. l. pag. 163.

concordant: in Graeco enim peccatores usque ad capillos demersi commemorantur, non vero in Syro, contra in Syro peccatores usque ad labia demersi describuntur, sed non in Graeco. Omnia autem haec genera Parisinus exhibet, unde iterum integritas huius textus satis cognoscitur. In capite extremo Parisinus et Syrus addunt, quae cuiusque generis peccata fuerint, quod in Graeco quidem desideratur, sed certe in archetypo exstitit.

Inde procedamus ad cap. XXXVI, cuius altera pars, qua describuntur lectoris poenae, in Graeco desideratur, exstat vero in ceteris libris; item prima pars capitis sequentis, qua refertur, quomodo feneratores puniantur, in illo tantum libro deest.

Iam ad capp. XXXVIII et XXXIX progredientes videmus magnam exstare differentiam inter codices. Primum quidem ex consensione Parisini et Syri patet tormenta, quae in cap. XXXVIII describuntur, in magos esse parata; Graecus vero hoc loco plura peccatorum genera enumerat: *οὗτός ἐστιν ὁ τόπος ἔνθα βλήσκονται οἱ φάρμακοι καὶ γόητες καὶ οἱ πόρνοι καὶ οἱ μοιχοὶ καὶ οἱ πνίγοντες χήρας καὶ ὀρφανούς.* Horum autem peccatorum tormenta in Parisino libro separatis capitibus peraguntur; num vero haec in archetypo exstiterint, ex Syro concludere non licet, cum hic liber prorsus discedat hac in re a libro primario. Comparanti autem Graecum et Parisinum dubium non esse potest, quin Parisinus archetypi formam servaverit. Neque enim plura atque diversa peccatorum genera easdem sufferre poenas tales libri referre solent, cum auctores id maxime spectaverint, ut unicuique peccatorum generi eas potissimum attribuerent poenas, quae singulis peccatis optime accommodatae esse videbantur. Unde suspicari licet Parisinam lectionem hoc quoque loco solam esse veram.

Atque simile iudicium de cap. XL faciendum esse puto. Ibi Parisinus describit, quas poenas tria peccatorum genera patiantur, quibus in Graeco unum tan-

tum genus respondet. Sed interest cognoscere, quomodo poenae duorum priorum generum in Graeco contractae sint atque uni adscribantur generi. Primum genus, quod in Parisino solo commemoratur, paganorum est, qui vestimenta alba quidem habent, sed caeci sunt. Alterum genus, quod et in Graeco invenitur, parricidarum infantium est, quae in obeliscis igneis positae sunt et a bestiis discerpuntur. Eum, qui haec peccatorum genera et poenas, quas patiuntur, accurate respicit, non potest effugere vestimenta alba et caecitatem multo melius accommodata esse paganis, qui stipes quidem porrexerunt Deum autem non cognoverunt, quam parricidis infantium. Sed fortasse quispiam dixerit lectionem libri Graeci meliorem esse ex apocalypsi s. Petri nuper inventa esse concludendum. Ibi enim narratur oculos infanticidarum vulnerari sagittis igneis ab infantibus missis. Hoc vero argumentum non multum valet; nam alteram quoque poenam, qua illae secundum Parisinum puniuntur, in apocalypsi s. Petri olim exstitisse demonstratur fragmento huius apocalypsis apud Clementem Alexandrinum servato (ecl. 48, 49): *τὸ δὲ γάλα τῶν γυναικῶν ῥέον ἀπὸ τῶν μαστῶν καὶ πηγνύμενον, φησὶν ὁ Πέτρος ἐν τῇ ἀποκαλύψει, γεννήσει θηρία λεπτὰ σαρκοφάγα καὶ ἀνατρέχοντα εἰς αὐτὰς κατεσθίει.*

Hisce adnotatis revertamur ad apocalypsim s. Pauli. De proximis capitibus non habeo quod dicam; Parisinus enim et Graecus satis inter se consentiunt, cum contra Syrus etiam hic male respondeat. Haec apocalypsis pars absolvitur capp. XLIII et XLIV, quibus refertur Deum precibus s. Pauli commotum animis in infernis viventibus diem dominicum ad quietem tribuisse. Quae pars quanta fuerit auctoritate apud homines medii aevi postea videbimus; nunc vero ultima apocalypsis capita perlustremus, quibus describitur Paulum in paradisum esse ductum ibique a sanctis salutatum.

Quae capp. XLV—XLVII narrantur, in Parisino et Graeco satis consentiunt, nisi quod in cap. XLVII Graecus

liber neglegentia librarii non integer est servatus, quod facile declaratur ex verbis *χαῖρε, Παῦλε, ἀγαπητὲ τοῦ θεοῦ* repetitis (cf. Paris. ed. James. pag. 38. 23. 36). Sed ne auctor quidem huius libri ab errato sibi cavit; prima enim capitis verba satis clare demonstrant, quod iam supra saepius statuimus, auctorem ex libidine verba archetypi mutasse; legitur enim: *ἔτι τούτων λαλούντων . . . εἶδον ἄλλους τρεῖς ἄνδρας,* quae verba offensionem praebent, cum antea Maria sola cum Paulo sit locuta; itaque neque verba *τούτων λαλούντων* neque *ἄλλους ἄνδρας* in libro primario extitisse patet. Paullo post alia librorum discrepantia occurrit; Parisinus enim narrat viros nomina sua Paulo indicasse „de Ruben usque Beniamin", Graecus vero *ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Μανασσῇ.* Quae differentia fortasse ita potest explicari, ut statuamus in eo archetypo, ex quo auctor Graeci libri hausit, verba, quae supra indicavimus, iam omissa fuisse; tunc vero verba „de Ruben usque Beniamin" minime poterant tolerari in contextu, quare auctor cum tot alia tum haec quoque verba ex suo arbitrio permutavit.

In cap. IL praeter eos iustos, qui in Graeco nominantur, etiam Lot et Job in scenam prodisse ex consensione Parisini et Syri concluditur. Denique in ultimo capite Elias et Elisaeus occurrunt, pro quibus in Graeco Enoch et Elias commemorantur. Syram vero lectionem, quacum Parisina consentit, praeferendam esse iam Tischendorfius olim adnotavit.[1]) Parisinus et Graecus iisdem verbis narrationis finem faciunt. Hic ergo re vera apocalypsim esse finitam certum est; in Syris libris deinde paucis additur Paulum ad se redisse atque omnia scivisse, quae sibi erant revelata.

Postquam tot librorum locos in comparationem vocavimus, restat, ut iudicium faciamus de singulis libris atque de archetypo. Ac primum quidem me probavisse credo nihil fere in Graeco et Syro inveniri, quod in

1) cf. Tischendorf l. l. pag. 68.

Parisino desideretur. Deinde autem, ubi codices differunt, inde, quod Parisinus aut cum Graeco aut cum Syro consentit, iterum Parisinum semper veram habere lectionem cognovimus. Ubi vero Parisinus plura praebet Graeco et Syro, ibi quoque Parisinum praeferendum esse demonstrare studui. Sed etiamsi hac in re non semper firmissima exstant argumenta, tamen inde, quod nullum fere invenimus locum, quo Graecus et Syrus consentientes discedunt ab illo libro, certam coniecturam de fide totius libri Parisini facere licet. Nihil ergo impedit, quominus statuamus Parisinum textum veram servavisse archetypi formam.

Nunc videamus, quomodo de Graeco libro sit iudicandum. Ac primum quidem ex comparatione instituta apparuit hunc librum haud paucis locis deficere atque suppleri ope Parisini et Syriaci, praeterea autem nihil additum esse, quod abhorreat ab archetypo. Ita vero auctor huius libri rem suam egisse videtur, ut aut ea, quae minus ei placebant, prorsus omitteret aut ea, quae in archetypo latius pertractata invenit, in brevius contraheret. Tamen id auctori concedendum est eum tam ingeniose propositum perfecisse, ut perpaucis tantum locis exceptis ex contextu mutatio minime possit cognosci.

Restat denique, ut pauca addam de Syriacis versionibus. Hi libri iam inter se parvas praebent dissensiones. Praeterea autem archetypi formam non semper servaverunt; non solum enim nonnulla capita in hisce libris omnino desiderantur, sed interpres Syriacus etiam haud paucis locis textum ex libidine permutavit. Comprobatur ergo Tischendorfii iudicium, quod supra (pag. 8) adscripsi.

Tota igitur quaestio, quam de singulis huius apocalypsis textibus atque de libro primario instituimus, profligata iam et ad exitum adducta videtur. Cum vero non possit esse dubium, quin archetypus deperditus Graece fuerit scriptus, textus autem Parisinus, quem proxime ad archetypum accedere demonstravimus, interpretatio Latina illius libri sit, non inutile duco paucis disserere, quomodo

auctor huius versionis Graecum verterit archetypi textum. Atque hac in quaestione diiudicanda magno nobis usui est Graecus textus, qui, quamquam in brevius eum esse contractum supra explicavimus, tamen haud paucis locis archetypi verba servavit. Sed neque hac in re omnes in medium proferre volumus locos, sed eos tantum, qui maxime notabiles esse videntur. Ac primum quidem duos colloco, quibus apparet interpretem Latinum accuratissime Graeca vertisse verba:

Cap. XI.

Sequere me, et hostendam tibi locum s⟨anctorum⟩, ubi ducuntur cum defuncti fuerint.	*δεῦρο ἀκολούθει μοι ἵνα σοι ὑποδείξω τὸν τόπον τῶν δικαίων, ποῦ ἀπέρχονται μετὰ τὴν τελείωσιν αὐτῶν.*

Cap. XVII.

quoniam . . . . oblivio nunc fieret omnium quae peccavit retro malorum.	*ὅτι . . . . λήθη ἐγένετο πάντων τῶν προγεγονότων αὐτοῦ ἁμαρτημάτων.*

Hinc ad alios transeamus locos, quorum interpretatio offensionem praebet:

Cap. XIII.

et vidi totum mundum, et erat quasi nihil in conspectu meo; et vidi filios hominum quasi nihil essent et d e f i c i e n t e s.	*καὶ ἴδον ὅλον τὸν κόσμον* *ὡς οὐδὲν ἐνώπιόν μου ἐ κ λ ε λ ο ι π ό τ α.*

Cap. XLVIII.

Et i u x t a m e f a c t u s statim flevit . . . . omnes labores, quos pertuli propter filios Israel, ad nihilum d i s p u t a t i.	*καὶ π λ η σ ί ο ν μ ο υ γ ε ν ά μ ε ν ο ς ἠσπάσατό με κλαίων . . . . . . ὁ μόχθος ὃν ἐμόχθησα διὰ τοὺς υἱοὺς Ισραὴλ εἰς οὐδὲν ἐ λ ο γ ί σ θ η.*

Singula comparantes exempla videmus interpretem Latinum Graeca verba parum diligenter vertisse, cum Graecorum vocabulorum vim propriam, quam in locis modo adnotatis habent, minime observaverit vel in suo textu expresserit. Huius generis plura vitia inveniuntur in Parisino. Supra iam (pag. 15) occasione data commemoravi Graecum vocabulum πύργοι in textum Latinum esse receptum, itemque (pag. 16) particula „quia“ orationem directam inchoari, quod iterum imitatio vitiosa est linguae Graecae. Nunc iam aliud proferam exemplum, quod omnino non potest intellegi nisi ex comparatione Graeci textus:

Cap. XXXI.

Et vidi illic fluvium ignis ferventem et ingressus multitudo virorum et mulierum dimersus usque ad ienua et alios viros usque ad umbiculum etc.	*καὶ ἴδον ποταμὸν κοχλάζοντα καὶ πολὺ πλῆθος ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν βεβλημένους ἐν αὐτῷ τοὺς μὲν ἕως γονάτων τοὺς δὲ ἕως ὀμφαλοῦ κτλ.*

Qua ex comparatione apparet hoc loco interpretem Latinum non tam sententiam quam singula verba vertisse. Ac primum quidem Graecum πλῆθος, quod accusativus est, sed in hoc casu eandem habet formam atque in nominativo, male reddidit nominativo „multitudo“; deinde Graecam formam βεβλημένους, quae *κατὰ σύνεσιν* est adhibita, accurate vertit scribens „dimersus“ (= dimersos, quod vitii genus saepius in hoc libro occurrit).

Similis error interpretis Latini in capp. XIV et XVI invenitur, ubi Graecum imperativum reddidit participio. In Parisini editione pag. 17. 13 haec exhibentur verba: „haec est anima, cuius tibi, domine, operam referebam f a c i e n s secundum iudicium tuum.“ Huic participio „faciens“ in Syris versionibus respondet imperativus: „Tu an ihr nach deinen gerechten Gerichten.“ Quam Syri interpretationem praeferendam esse probatur loco cap.

XVI, ubi in Parisino iterum legitur: „faciens secundum tuum iudicium"; haec vero pars in Graeco quoque exstat, qui consentiens cum Syro imperativum praebet: *ποίησον αὐτῇ κατὰ τὸ κρίμα σου.*

Duo denique hic tractandi sunt loci, quibus apparet interpretem vocabula, quorum formae simillimae sunt, confudisse. Atque alterum exemplum supra iam (pag. 14) commemoravi, ubi exposui inde quod Parisini libri auctor pro *ηλιαν* legit *ηλιον* concludendum esse illam partem ad archetypum spectare. Restat alterum exemplum, quod in cap. XXIX exstat. Ibi in Parisino (pag. 27. 23) haec leguntur: „cum autem venerit Christus rex aeternitatis cum fiduciam regni sui, ipse iterum procedet, ut psallat" etc., quibus in Graeco haec respondent: *ὅτε οὖν ἔλθῃ ὁ Χριστὸς ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτοῦ παρουσίᾳ, αὐτὸς δὲ ὁ Δαυὶδ ἐξέρχεται σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις.* Illud vocabulum „fiducia", quod Parisinus exhibet, vix potest sensui accommodari, itaque ex miro interpretis errore in textum fluxisse videtur, cum vocabulum *παρουσία*, quod in Graeco exstat, confuderit cum *παρρησία*. Quae coniectura confirmatur loco cap. III, ubi *παρρησία* in Graeco occurrit et hic quoque ab interprete vocabulo „fiducia" translatum est.

2.

His expositis iam accedimus ad alteram quaestionem, quae hac priore parte nobis tractanda est. Supra enim nonnullos textus Latinos commemoravimus, quos a comparatione exclusimus, cum nimia exstaret discrepantia inter hos libros et eos, de quibus supra egimus. Quare nunc nobis restat, ut de his textibus Latinis iudicium faciamus.

Brandesius anno 1885 Halae emisit librum „Visio s. Pauli" inscriptum. Quo in opusculo diversas quaestiones tractavit: primum disserit auctor de libro primario, deinde refert de nonnullis textibus Latinis, quorum quidem duos ibidem edidit, postremo denique agit de versioni-

bus Germanicis, Gallicis, Anglicis. Nostra hoc loco imprimis interest exquirere, quae exstet ratio inter textum Parisinum atque illos libros Latinos.

Versiones Latinae, de quibus Brandesius refert, valde differunt a ceteris textibus, quos supra tractavimus: parvam tantum apocalypsis partem praebent, sed ne ea quidem, quae in iis leguntur, cum illis consentiunt. Tamen hos libellos hominibus mediae aetatis valde placuisse vel ex eo intellegitur, quod permulti ad nos descenderunt codices; Brandesius enim viginti duos enumeravit libros [1]), quorum quattuor sunt Vindobonenses, quattuor Sangallenses, octo Londinenses, ceteri sex in aliis servantur bibliothecis. [2]) Plerique saec. XIV et XV sunt scripti, tres tamen maioris sunt aetatis: duo enim Sangallenses codices saec. IX sunt orti, Palatinus, qui in bibliotheca Vaticana servatur, saec. IX—X. Brandesius ipse decem codices inspexit, ex quibus sex potissimum visionis formas distinguendas esse cognovit, ita enim refert [3]): „Mit Hilfe der von mir benutzten Hss. lassen sich sechs Formen feststellen, in denen sie (sc. Visio s. Pauli) sich verbreitet hat, und wir dürfen annehmen, dass diese sechs Redaktionen die wichtigsten Phasen ihrer Entwicklung repräsentieren."

His praemissis iam singulas formas perlustrantes videamus, quomodo differant ab archetypo. Exordium sumamus a forma I, cuius textum Brandesius (pag. 65 sqq.) ex codice Vindobonensi 362 saec. XIV edidit. Antequam vero quid ipse iudicem de hoc libro exponam, ea quae ille disseruit [4]) proferam: „Dem griech. Texte am nächsten steht die lat. I. Redaktion, die der cod. Vindeb. 362 bietet. Wie jener zerfällt sie in zwei Teile, deren einer den

---

1) cf. Brandes, Visio s. Pauli, Halae 1885, pag. 21 sqq.

2) In eo numero etiam revelatio s. Pauli est, de qua supra (pag. 7) verba fecimus.

3) Brandes l. l. pag. 23.

4) Brandes l. l. pag. 24 sq.

Himmel, der andere die Hölle schildert. Sieht im Original der Apostel aber erst den Himmel und darnach die Hölle, so ist hier dem ganzen Entwickelungsgange der Visio entsprechend die Reihenfolge umgekehrt und der Abschnitt, der das größere Interesse erweckte, in den Vordergrund gestellt. Da sich die Vorliebe des Autors für diesen Teil auch in der sorgfältigen Berücksichtigung von Einzelheiten verrät, während er in dem zweiten Teile an ihnen häufig achtlos vorübergeht, so erhält die Darstellung der lichten Partien des Jenseits schon in dieser der griech. Apokalypse am meisten verwandten Bearbeitung die Bedeutung des Nebensächlichen, den Charakter eines Anhanges. Wird aber bereits hier der vom Himmel handelnde Abschnitt völlig zurückgedrängt, so kann es uns nicht auffallen, dass ihn die übrigen Redaktionen überhaupt ausstoßen.“ De hoc iudicio quid existimandum sit, facile statuemus, si textum codicis Vindobonensis accurate perlustraverimus. Primo loco ibi poenae peccatorum enarrantur; quae postquam descriptae sunt, homines admonentur, ut omni peccato abstineant, ne mittantur in infernum. Deinde sine capite atque exordio incipit alia apocalypsis pars, quae in libris non decurtatis tormentorum descriptioni antecedit, et quidem omnia, quae in libris plenis inde a fine cap. XVII usque ad cap. XXXVII exhibentur, in hac parte codicis Vindobonensis inveniuntur. Pars ergo, qua peccatorum tormenta enumerantur, iterata est et bis scripta, cum iam in initio codicis Vindobonensis exstet. Iam vero magna interest differentia inter primam et ultimam partem huius codicis. Cum enim in priore parte descriptio poenarum valde abhorreat a textibus non decurtatis, ea, quae in fine codicis legitur, prope accedit ad illos libros. Quam ultimam partem, quae pag. 95 sq. invenitur, Brandesius disiunxit ab editione, cum nihil aliud contineat nisi prioris partis eiusdem libri narrationem accuratius conscriptam. Atque ad hanc repetitionem mirabilem explicandam haec

disseruit vir doctus[1]): „Die Entstehung des im folgenden mitgeteilten Abschnittes, der in der Hs. unmittelbar der Visio sich anschließt, läßt eine zwiefache Erklärung zu. Entweder arbeitete der Autor an seiner Übertragung zu verschiedenen Zeiten und hatte, als die Darstellung des Paradieses beendet war, vergessen, dass er den von der Hölle handelnden zweiten Teil des griech. Textes an die Spitze gestellt hatte, so daß er ahnungslos anfing, die Strafen der Verdammten von neuem und ausführlicher zu beschreiben als zuvor, und erst aufhörte, als er sich seiner ersten Übersetzung dieses Teils wieder erinnerte, oder er war von der ersten kürzeren Behandlung seiner Vorlage nicht befriedigt und arbeitete nun die Schilderung des Feuerstroms um, wobei er sowohl die Strafen, welche die im Strome bis zu den Knieen, dem Nabel, dem Munde, den Augenbrauen und den Haaren Stehenden dulden, anders motivierte als auch den früher übergangenen Presbyter, den Bischof und den Diakonus aus seiner Quelle herübernahm. Obwohl bei der Kürze der Visio die zuerst gegebene Erklärung viel unwahrscheinliches enthält, so bin ich doch geneigt, ihr vor der zweiten den Vorzug zu geben, da auch der Übergang vom Himmel zur Hölle in unserer Übersetzung in derselben Weise wie im Original vollzogen ist, was bei der Umarbeitung einzelner Partien zwecklos war."

Has ergo causas ad quaestionem explicandam vir doctus proposuit; sed minime ei hac in re possum astipulari. Ac primum quidem erravit, cum omnia, quae in codice Vindobonensi exstant, ab eodem auctore scripta esse censeat. Neque enim potest dubitari, quin in illo codice duae apocalypsis partes exstent, quae prorsus inter se alienae atque a diversis auctoribus scriptae sint. Prior pars, quae in Brandesii editione a pag. 65 usque ad pag. 68. 12 pertinet, forma I est neque multum differt a ceteris

---

1) **Brandes** l. l. pag. 94.

visionis formis. Omnia vero, quae exinde in codice sequuntur, non disiungenda sed coniungenda sunt, atque haec altera codicis pars fragmentum est apocalypsis plenae, quod Fragmentum Vindobonense nominabo.

Haec coniectura gravissimis probatur argumentis. Ac primum quidem ex scribendi genere patet illas partes, quas distinxi, a diversis auctoribus esse scriptas: nam pro verbo „interrogare", quo auctor prioris partis semper utitur, in Fragmento interdum adhibentur verba „inquirere" et „requirere" [1]; praeterea verba „inquit" et „ait" in Fragmento saepe orationi directae inserta sunt [2], nunquam vero in priore codicis parte, quae est forma I. Accedunt alia argumenta eaque graviora, quibus recte se habere, quod proposui, comprobatur. Ad pag. 70. 18, quae pars ad Fragmentum pertinet, Brandesius haec adnotavit [3]: „Die Antwort des führenden Engels enthält einen seltsamen Widerspruch. Obgleich der Erzengel Michael nach den Einleitungsworten das Führeramt übernommen hat, so spricht der Führer des Apostels von dem heiligen Michael an dieser Stelle wie von einem dritten. Da die griech. Apokalypse den Führer des Paulus nicht mit dem Erzengel identifizierte, so liegt die Erklärung ziemlich nahe. Etwas weiter unten äußert der Engel: Quisquis fuerit humilis, peregrinis hospitalis, misericors, cum obierint, a sancto Michaele huc ducuntur."

Duo ergo exstant loci, qui eandem praebent offensionem; mea autem coniectura probata nulla adest difficultas, nam in archetypo, ad quem Fragmentum prope accedit, non Michael sed alius angelus dux apostoli designabatur. Grave denique argumentum inde sumitur, quod prior libri pars — ut infra demonstrabo — referta est rebus, quae ab archetypo alienae sunt, nihil vero eius-

1) cf. Brandes l. l. pag. 68. 33, 69. 10. 33, 95, 12. 29. 36.

2) cf. Brandes l. l. pag. 68. 19. 25. 26. 27. 31. 34, 69. 5, 70. 35, 95. 21, 96. 19.

3) Brandes l. l. pag. 93.

modi invenimus in altera parte, quam designavi Fragmentum Vindobonense.

His absolutis iam videamus, quid de utraque codicis parte sit iudicandum. Ac primum quidem paucis disseram de Fragmento, quod mihi permagni videtur esse momenti; nam ex hoc libro optime cognoscitur, quas commutationes apocalypsis transierit; cum enim in archetypo narratio ita disposita fuerit, ut Paulus ipse omnia referat, in eo libro, cuius Fragmentum nobis servatum est, potius auctor narrat, quae apostolo sint revelata, idemque invenimus in formis textuum Latinorum, de quibus Brandesius refert; quae tamen insunt in Fragmento, ea ipsa valde aliena sunt ab illis libris, nam omnia fere ad archetypum pertinent, quae in Fragmento Vindobonensi exstant. Quod ad demonstrandum optimum duco comparationem instituere inter hunc librum et Parisinum. Omnia, quae in libris non decurtatis ab initio usque ad finem fere cap. XVII narrantur, in illo libro perierunt. Parvula tantum pars narrationis de condemnatione peccatoris exhibitae in Fragmento restitit. Iam vero auctor huius libri omisit, quae in libris plenis cap. XVIII exstant, quo narratur animas quasdam esse arcessitas, ut accusarent animam impiam. Quae deinde sequuntur, satis consentiunt cum textu Parisino, quod consulto addo: plura enim praebet Fragmentum quam Graecus atque magis conspirat cum Parisino quam cum Syro, quod statim ex comparatione apparebit. Sic enim fere pergit Fragmentum narrationem: Apostolus in caelum ducitur ibique videt portam auream et nomina iustorum, quae in columnis sunt scripta. Prope portam obviam ei veniunt Enoch et Elias, quorum alterum in Graeco omissum esse supra (pag. 14) iam adnotavimus. Deinde Paulus et angelus in alium proficiscuntur locum, per quem fluit „fluvius lacteus et melleus“ (Brandes pag. 69. 13). Id ipsum magni mihi esse videtur momenti, siquidem „fluvius lacteus et melleus“ neque in Graeco neque in Syro exstat commemoratus, exstat vero in textu Parisino, ubi legimus:

„vidi flumen currentem lac et mel“ (Paris. ed. James. pag. 22. 30). Inde Paulus et angelus procedunt in civitatem Christi, per quam fluunt quattuor flumina. Prope unumquemque fluvium iusti versantur, qui apostolum salutant; atque apud flumen vini ei occurrunt „Abraham, Ysaac et Jacob ac Loth necnon et Job multique patres“ (Brandes pag. 70. 25). Comparantes textus plenos Lot et Job non invenimus commemoratos nisi in libro Parisino, in quo haec exstant: „duxit me, ubi erat flumen vini, et vidi illic Abraam, Hisaac et Jacob, Lot et Jop et alios sanctos“ (Paris. ed. James. pag. 26. 6). Deinde angelus ducit apostolum in mediam civitatem, ubi vident David regem prope altare stantem atque „alleluia“ cantantem. Explicatio huius vocabuli, quae in libris plenis invenitur, deest in Fragmento. Ex regione beatorum Paulus super oceanum ad loca inferna ducitur. Primum videt flumen, in quo peccatores demersi sunt; atque hac in re describenda Fragmentum iterum consentit cum textu Parisino. Supra enim (pag. 17) adnotavimus in Graeco et Syro tria tantum peccatorum genera esse commemorata, in Parisino quattuor, atque Parisinam lectionem esse veriorem nunc iterum cognoscimus ex consensu Fragmenti. Deinde cetera tormenta describuntur eodem ordine atque modo, quem Parisinus exhibet, usque ad finem cap. XXXVII, ubi Fragmenti narratio abrumpitur.

Hac comparatione finita restat, ut conclusionem faciamus et de textu Parisino et de Fragmento Vindobonensi. Hoc unum autem praemonendum esse censeo Fragmentum minime dependere a textu Parisino; uterque enim liber propriam habet dictionem atque textus hac in re adeo inter se discrepant, ut operae pretium non esse videatur id exemplis congestis affirmare, quae facile ex comparatione colligantur. Iam ut de Fragmento iudicium faciam: statuendum est nihil fere omissum esse quod in archetypo exstitit. In libris plenis sane multa latius et fusius pertractantur quam in Fragmento, sed id

huius libri auctoris consilium fuisse videtur totam visionem s. Pauli sine ulla ubertate breviter et accurate referre. Deinde vero locos eruimus, quibus luculente probatur auctorem interdum veriorem archetypi formam servavisse quam auctores Graeci et Syri textus. Atque iidem loci fidem addunt ei sententiae, quam priore capite tuli, Parisinum semper fere cum archetypo deperdito conspirare.

Hactenus de Fragmento Vindobonensi. Nunc revertamur ad priorem partem codicis Vindobonensis, quae est forma I. Hac in parte nihil describitur nisi tormenta peccatorum. In initio Michael dux apostoli designatur, quod alienum esse ab archetypo supra iam commemoravi. Deinde narratio sic fere pergit: Apostolus in locum ducitur, per quem flumina inferna fluunt: Cocytus, Styx, Phlegethon, Acheron; ibi videt etiam draconem multiformem, cui nomen est Parthemon. Haec auctorem non ex archetypo huius apocalypsis sed aliunde hausisse patet ex silentio librorum non decurtatorum. Ea autem, quae inde narrantur, propius ad libri primarii formam accedunt. Sequitur enim descriptio peccatorum, qui in fluvio demersi sunt, quorum peccata eadem fere sunt atque quae in Parisino enumerantur. Etiam proximum genus, quod in hac forma I describitur, satis consentit cum archetypo. Deinde autem magna exstat perturbatio: non solum omittuntur poenae, quibus episcopus, presbyter, diaconus, lector puniuntur, sed etiam ea, quae inde sequuntur, valde sunt confusa. Iidem sane peccatores atque eadem tormenta, quae in Parisino inveniuntur, hic quoque describuntur, sed minime archetypi restitit ordo. Ii, qui viduis et orphanis nocuerunt, iique, qui fenus iniquum exercuerunt, iisdem poenis puniri narrantur, quod abhorret a libro primario. Deinde commemorantur tormenta eorum, qui ieiunium non servaverunt, quae pars satis conspirat cum Parisino. Sed iam progredientes ad ea, quae sequuntur, iterum hanc formam discrepare ab archetypo videmus; infanticidae enim et mulieres fatidicae iisdem cruciari narrantur tor-

mentis, quae neutri generi adscribuntur in Parisino sed alii, quod non exstat commemoratum nisi in Parisino, id quod consulto addo, cum quanta sit differentia inter hanc formam et Parisinum, tamen nexus quidam inter libros exstare videatur, ut infra demonstrare studebo. Inde Paulus ad puteum ducitur, in quo sceleratissimi torquentur peccatores. Ii, qui in hoc puteo sunt, Michaelem et Paulum implorant, ut sibi quietem a Deo petant; quorum precibus commotus Deus descendit et pollicetur se animis in infernis viventibus diem dominicum ad quietem esse tributurum. Denique in parte extrema homines admonentur, ut curent, ne mittantur in loca inferna.

Ex hoc summario colligitur nihil de regione caelesti in forma I inveniri neque omnia, quae in archetypo de locis infernis invenimus commemorata, hunc in librum esse recepta, ea tamen, quae in hac forma exstant, quamvis sint perturbata, cum textu Parisino cohaerere.

Iam vero quaerentes, qua re commotus auctor formae I hanc tantum apocalypsis partem descripserit, vix erramus explicantes ea, quae in fine leguntur, ansam dedisse ad hanc formam conscribendam; ibi enim legimus Deum animis in infernis viventibus concessisse, ut die dominico ex diutino labore quieti se darent, quod quidem credulis hominibus sane valde placuit. Inde etiam id facile explicatur, quod in initio huius formae Michael falso designatur dux apostoli; in archetypo enim Michael et Paulus illud beneficium peccatoribus a Deo petivisse narrantur.

Hactenus de huius formae argumento. Nunc videamus, unde hauserit auctor huius libri. Supra iam commemoravi tormenta in hac forma esse descripta, quae in Parisino solo sint servata. Hinc sane nondum liceret concludere Parisinum fontem fuisse huius libri, nisi invenirentur loci, quibus comprobetur nexum quendam ex stare inter eos. Quod ad demonstrandum locos in utroque libro respondentes colloco:

Textus formae I.
Brandes pag. 66.9 sqq.

Tunc vidit ibi locum plenum viris et mulieribus et erat fovea alta in profundo loci plena animabus . . . . et erat profunditas loci illius trecenta milia cubitorum, gementes et flentes ibi anime et clamantes: Miserere nobis, fili David!

Textus Parisinus.
James pag. 29.8 sqq.

Et vidi . . . . locum . . . repletum viris et mulieribus . . . et vidi foveas in profundo valde et in eis animas plurimas in unum, et erat profunditas loci illius quasi tria milia cubitorum, et vidi eas gementes et flentes et dicentes: Miserere nobis, domine.

pag. 66.17.

Abyssus mensura⟨m⟩ non habet.

pag. 29.20.

Aby⟨s⟩sus mensuram non habet.

pag. 66.19.

Cum hoc audisset Paulus, ingemuit et flevit. Et dixit angelus:
Quid ploras? Vis plus esse misericors filio dei, qui . . . . . dimisit unicuique propriam voluntatem . . .

pag. 29.25.

Ego vero cum audissem. ploravi et ingemui . . . . Respondit angelus et dixit mihi: Quare ploras? Numquid tu magis misericors e⟨s⟩ quam deus? . . . . . dimittens unumquemque propria voluntate facere . .

pag. 66.33.

Postea vidit mulieres multas in alio loco indutas pannis et pice et sulphure et igne et dracones et serpentes circa colla earum, et angeli habentes cornua ignita percuciebant eas.

pag. 33.7.

Et post aec vidi viros ac mulieres indutus pannis picem plenis et sulforem ignis, et erant drachones circumvoluti collis eorum . . . et contenebant eos angeli abentes ignea cornua et percuciebant eos.

pag. 67.2. Paulus flevit et dixit: Ve ve ve peccatoribus ut qui nati sunt? Et angelus: Quid ploras, Paule? Nondum vidisti maiora his supplicia sepcies.	pag. 33.28. Et suspirans flevi et dixi: Ve hominibus, ve peccatoribus, ob qui nati sunt? Et respondens angelus et dixit mihi: Quare ploras? . . . . cum aduc necdum videris maiora supplicia? . . . videbis orum maiora septies.
pag. 67.5. Et tulit eum ad septentrionem super puteum sigillatum sigillis VII. Et dixit angelus: Vade longe, si non possis sustinere fetorem loci. Et apertum est os putei, et surrexit quidam fetor superans omnes penas.	pag. 33.35. Et tulit me a septentrionale et statuit me super puteum . . . signatum septem signaculis . . . Et dixit mihi angelus: Longe sta, ut valeas sustinere fetorem loci istius. Cum ergo apertus fuisset puteus, statim surrexit ex eo fetor quidam . . . qui superaret omnes penas.
pag. 67.24. Flete et flebo vobiscum et omnes angeli dei mecum et Paulus nobiscum.	pag. 35.21. Tunc autem flete et ego fleo vobiscum, et qui mecum sunt angeli sancti cum dilectissimum Paulum.
pag. 67.31. Plus est nobis refrigerium istud quam omne tempus vite nostre.	pag. 36.22. Melius est . . nobis refrigerium die uius super omne tempus vite nostrae.

Ex hac textuum comparatione apparet Parisinum fontem fuisse huius formae, sive Parisinus ipse auctori praesto fuit sive alius textus ex illo libro pendens.

Iamiam transeamus ad ceteras formas, quae huic simillimae sunt. Forma II[1]) paulo uberior est quam forma I; auctor enim nonnulla ex libidine addidit, quae neque in archetypo neque in forma I leguntur. In iis autem, quae archetypo respondent, auctor huius formae propius ad textum Parisinum accedit quam formae I, cum singulis peccatorum generibus propria adscribantur tormenta. Atque hac in re tractanda auctor eundem servavit ordinem ac Parisinus, nisi quod nonnullae partes omissae sunt. Finis huius formae consentit cum forma I.

Forma III[2]) comprobatur partem, qua Deus animis impiis diem dominicum ad quietem tribuisse narratur, ansam dedisse ad hos libros conscribendos, quod iam supra demonstrare studui; in initio enim huius formae quaeritur, cuius precibus commotus Deus hoc beneficium in illas contulerit animas. Quae deinde enarrantur, ita conspirant cum forma II, ut et ea, quae non ex libro primario fluxerunt, et quae ex illo textu hausta sunt, eodem fere modo describantur. Ante conclusionem vero nova pars huic formae inserta est, qua iudicium de anima iusta atque impia factum perscribitur, quae narratio ex priore archetypi parte assumpta est. Conclusio denique, propter quam hae formae conscriptae sunt, hoc in libro fusius atque copiosius peragitur quam in forma I et II.

Textum formae IV Brandesius pag. 75 sqq. edidit. Praesto ei fuerunt cod. Vindob. 876, Addit. ms. 26770, cod. Harl. 2851; omnes hi libri saec. XIV sunt scripti. Haec forma hisce incipit verbis[3]): „Dies dominicus dies est electus, in quo gaudent angeli et archangeli maior diebus ceteris.“ Deinde eadem sequitur interrogatio atque in initio formae III: cur hoc die animis impiis quies sit tributa. Hac in forma plura inveniuntur, quae ab archetypo aliena sunt, quam in iis formis, quas modo tracta-

1) cf. Brandes l. l. pag. 25 sqq.
2) cf. Brandes l. l. pag. 29 sqq.
3) cf. Brandes l. l. pag. 75.

vimus. Ceterae res, quae ex libro primario fluxerunt, conspirant cum forma II et III. Has formas (II, III, IV) ex eodem fonte haustas esse demonstravit Brandesius.[1]) Quaerendum igitur est, num ille quoque liber, a quo hae dependent formae, cohaereat cum Parisino. Atque profecto res ita esse videtur, quod ex hac comparatione formae IV et Parisini facile concluditur:

Textus formae IV.	Textus Parisinus.
Brandes pag. 77. 3.	James pag. 33. 7.
erantque ibi puelle . . . indute pice et sulfure. (Addit ms. 26770: indute pannis et pice et sulphure et igne).	Et . . vidi viros . . indutus pannis picem plenis et sulforem ignis.
pag. 77. 9.	pag. 32. 34.
He sunt que . . . necaverunt infantes suos et in escam porcis et canibus dederunt et in fluminibus . . . proiecerunt.	Infantes . . interpellant dominum . . . dicentes: . . . dederunt nos in escam canibus et in conculcationem porcis; alios proiecerunt in flumine.
pag. 77. 15.	pag. 32. 1.
Postea vidit viros ac mulieres super canelia ampnis.	et vidi alios pendentes super canela aque.
pag. 77. 27.	pag. 34. 4.
Sta longe, ut possis sustinere fetorem hunc. Et aperto ore putei surrexit fetor malus et durus superans omnes penas inferni.	Longe sta, ut valeas sustinere fetorem loci istius. Cum ergo apertus fuisset puteus, statim surrexit ex eo fetor quidam durus et malignus valde, qui superaret omnes penas.

1) cf. Brandes l. l. pag. 34 sq.


pag. 78. 2.	pag. 34. 10.
Si quis mittatur in hoc puteo, non fiet commemoracio eius in conspectu domini.	Si quis misus fuerit in hunc puteum . . . . nunquam comemoracio eius fit in conspectu patris et filii et spiritus sancti.

Certum igitur est etiam has formas aliqua ratione cum Parisino cohaerere, quamquam multa insunt, quae aliunde fluxerint.

Formam V ex formis III et IV confectam esse Brandesius comprobavit[1]; nihil ergo de hoc libro addendum est.

In forma denique VI[2]) nihil nisi damnatorum tormenta describitur, omnia brevissime peraguntur. Cum vero haec forma plane discedat a ceteris, omnino eam neglego.

Ut cognoscatur, quae exstet ratio inter singulas formas, Brandesius hoc construxit stemma[3]):




A significat archetypum, α et β libros Latinos deperditos, numeri Romani textuum decurtatorum formas.

Quod stemma si intuemur, videmus formae I fontem fuisse librum α, ceteras vero formas omissa forma VI fluxisse ex libro β, qui ab α derivatus est. Formae I—V — ut supra demonstravi — cohaerent cum textu Parisino, quod testimoniis affirmari potest in ea tantum parte, quae

1) cf. **Brandes** l. l. pag. 37 sqq.
2) cf. **Brandes** l. l. pag. 39 sq.
3) **Brandes** l. l. pag. 41.

de peccatorum poenis agit. Ceterae autem res, quae ex priore apocalypsis parte sumptae sunt, similitudines vix exhibent. Huc pertinet etiam descriptio tormentorum, quibus episcopus impius punitur, in formis II[1]) et IV[2]) exhibita. Quare mihi certum videtur talia ex alio libro esse hausta, praesertim cum hae res alio loco in hisce formis commemorentur atque in archetypo. Unica, quae harum rerum nihil continet, est forma I, unde colligo in libro *α* nihil eiusmodi exstitisse. Liber *β* a libro *α* dependet, auctus autem est illis rebus, quas ex alio libro fluxisse supra conclusi.

Rationem, quae inter singulos textus esse videtur, hoc stemmate illustraverim:



A significat archetypum, P textum Parisinum, F Fragmentum Vindobonense, a, *α*, *β* libros Latinos deperditos, numeri Romani textuum decurtatorum formas.

Iam ut breviter summam faciamus huius disputationis, de textibus apocalypsis s. Pauli haec sunt statuenda:

I. Textus Parisinus proxime accedit ad librum primarium, quamvis male interdum interpres Graeca verterit verba.

II. Textus Syriaci veram archetypi formam non servaverunt. Nonnulla enim capita in iis omnino desunt, alia ab interpretibus ex libidine sunt mutata.

1) **Brandes** l. l. pag. 28 sq.
2) **Brandes** l. l. pag. 36.

III. Textus Graecus in brevius est contractus, nihil vero additum est, quod abhorreat a libro primario.

IV. Fragmentum Vindobonense narratio argumenti est apocalypsis. Omnia fere, quae in archetypo exstiterunt, hic breviter et accurate commemorantur, neque quicquam ex libidine auctoris additum est.

V. Textuum decurtatorum formae parvulam tantum apocalypsis partem praebent. Hae formae ex textu Parisino fluxerunt, multa autem continent, quae aliena sunt ab archetypo.

II. De sermone versionis Parisinae et de tempore quo orta sit.

Postquam historiam atque diversas formas apocalypsis s. Pauli explanavi, hac altera dissertationis parte mihi propositum est in Latinitatem inquirere eius textus Latini, quem Parisinum vocavimus. Quam ad rem persequendam imprimis accurata lectionum codicis Parisini notitia opus est, quam ex unica adhuc confecta editione Jamesii non posse hauriri Birtius cognovit; quare doctissimus ille vir curavit, ut nova huius codicis collatio in usum meum conficeretur, quam Lebègue vir doctissimus Parisinus diligentissime composuit. Sed ab huius opusculi ratione alienum est magnum earum lectionum numerum proferre, in quibus peccavit Jamesius; hoc enim novae editionis erit munus. Quae cum adhuc non exstet, in his quae sequuntur numeros paginarum atque versuum Jamesii editionis afferre cogor. Ubi ergo differentia invenitur inter verba, quae a me proponuntur et quae apud Jamesium leguntur, textum Parisinum ab Jamesii editione discrepare scito.

Antequam autem ad propositum ipsum progredior, pauca mihi videntur esse dicenda de codice Parisino eiusque librario. Codex, qui Parisiis servatur[1]), ex duabus partibus constat diversae aetatis, quarum prior (ff. 1—26)

1) Nouvelles acquisitions Latines 1631.

praeter alia perpauca textum visionis s. Pauli exhibet (ff. 2′—25) estque haec pars saeculi VIII; altera parte s. X traduntur „Breviarium Alarici“ atque pars glossarii.[1]) Qua in parte visio Pauli exstat, margo libri dexter laesus est, ut persaepe litterae sint supplendae. Hoc munus Jamesius suscepit, quasque addidit litteras uncis inclusit; sed ita agit vir doctus, ut haud raro aliis quoque locis aut litteras aut plena verba addat, ubi laesio textus omnino non adest. Ego vero in hoc opusculo uncos ibi tantum adhibebo, ubi litterae in parte laesa re vera desiderantur.

Restat, ut persequamur, quomodo librarius verba ex archetypo transscripserit. Primo obtutu apparet nimis neglegenter eum rem suam egisse, atque in iis quae sequuntur ex vitiorum quae admisit numero nonnulla proferam: Primum quidem vocabulorum syllabas divellit: 11.4 *ater cium* (= *ad tercium*); 11.17 *qui bus;* 13.36, 14.2 *ad orare;* 14.16 *me agratia, ad iutorium;* 19.32 *pia egesserunt* (= *piae gesserunt*); 23.24 *val desuper;* 23.31 *ina cerosium;* 24.3 *perveniremus que* (= *pervenirem usque*); 26.6 *hisa. ac* etc.

Ubi in fine versuum vocabula dirimuntur, iterum interdum vitiosa est lectio: 23.10 *repromis / ionis;* 37.24 *ingre / sa;* 20.18 *virtutem / quae* etc.

Saepe denique finis vocabuli antecedentis aut sequentis erroris causam intulit: 17.28 *videt adoret (ad oram);* 33.10 *ignea cornea;* 34.19 *vermem inquietem;* 37.5 *angelum impetum spiritum sanctum;* 37.8 *initiarum aquarum;* 20.28 *nondum completum est annum;* 34.16 *panis et calicis* etc.

Librarius ipse interdum errores cognovit atque correxit: 17.25 *aput: apud;* 19.1 *tales: talis;* 36.20 *penes: penis;* 21.32 *illarens: ilarens;* 35.28 *vellut: velut;* 29.18 *mitantur: mittantur;* 28.5 *psallat: psallet;* 22.15 *terre: terra;* 37.9 *haec: hic* etc.

---

1) Accurata descriptio invenitur apud M. Delisle, Cat. des Mss. des fonds Libri et Barrois 1888 pag. 108.

Praeter correctiones librarii ipsius invenimus in priore textus parte emendationes ab alia manu factas, quam designamus m 2. Ultima huius manus correctio pag. 19.15 inveniri videtur, ubi *conticuet* mutavit in *conticuit*. Primum nunc exquirendum est, num m 2 emendationes suas ex alio quodam codice hauserit; quam quaestionem facile dissolvemus correctiones accurate perscrutantes. Quo tempore m 2 codicem perlustravit, margo libri iam erat laesus; quare litteras, quae non poterant legi, supplevit; sed in eo munere nonnumquam falsa eam intulisse ex his apparet exemplis: pag. 14.35, ubi nunc apud Jamesium legis *iustorum,* in codice exstat *sc*|,[1]) ceterae litterae recisae sunt; m 2 *solum* supplevit, quod ne minime quidem potest tolerari, sed *sanctorum* esse substituendum mihi certum est. Alterum quod profero exemplum pag. 14.32 exstat, ubi Jamesius secutus m 2 edidit *operantur,* quae lectio falsa est; in codice enim legitur *c*|. *runtur,* quare *geruntur* in archetypo exstitisse suspicor, cum una tantum littera excidisse videatur. Neque ceterae correctiones huius manus ullius pretii sunt nisi perpaucae. Ceteroquin plerumque orthographiam a m 1 adhibitam mutavit: ubi m 1 *h* ante vocalem falso admisit, m 2 litteram delevit, et rursus ubi illa litteram falso omisit, haec addidit. Item m 2 lectionem saepe mutavit, ubi *e* et *ae,* vel *e* et *i,* vel *o* et *u* erant permutatae, sed his in rebus m 2 ipsa interdum errores in textu posuit. Ex iis quae modo exposui emendationes alterius manus omnino non esse respiciendas apparet, quippe quas corrector addiderit de suo.

Ut denique ex allatis exemplis coniecturam faciamus de fide codicis Parisini: patet librarium scribendo permulta vitia commisisse, quorum parvam tantum partem correxit. Ergo certo non omnia in archetypo ita scripta erant, ut nunc in Parisino legimus, quae res magni momenti est, si agitur de orthographia vel vocabulorum

1) Ubi iuxta litteras hastam ad perpendiculum directam pono, scissi marginis finis decurrit.

et verborum declinatione; quare semper operam dabo, ut incerta a certis separentur.

His peractis iam ad rem ipsam venimus atque quaerimus, quas in partes materia sit dividenda. Sane vix alia solet adhiberi divisio nisi quam praebent omnes fere libri ad rem grammaticam pertinentes. Tamen in ea quam nos tractamus re quaedam restat difficultas: satis saepe enim evenit ut incerti haereamus, quo in capite singulas res notabiles collocemus. Atque ubi hae dubitationes occurrerunt plerumque secutus sum praestantissimum illud opus, quod conscripsit M. Bonnet de Latinitate Gregorii Turonensis[1]), ex quo omnino summam percepi utilitatem.

Materiam igitur ita disponam, ut primum agam de scribendi ratione, deinde de vocabulorum et verborum declinatione, tum de dictionum constructione, postremo de vocabulorum et verborum usu.

De ratione scribendi.

Primo obtutu in libris serioris aetatis mira atque vitiosa observatur scribendi ratio. Saepissime vocales *ae* et *e*, *e* et *i*, *o* et *u* permutatas videmus itemque consonantes *b* et *p*, *d* et *t*, *g* et *j* etc. Quae permutationes non ex libidine a scriptoribus sunt admissae, sed certa possunt distingui genera, quae prout vel libri vel inscriptionis est aetas aut regio diversa sunt. Videamus ergo, quae leges valeant in eo quem nos tractamus textu.

Cap. I. De vocalibus.

1. ae.

a) *ae* pro *e* brevi: *praecor* 37.34, 42.9; *depraecor* 35.16. 38.35, 41.23; *adpraehendo*[2]) 27.8, 32.29; *angelae*[3]) 20.14; *vir-*

1) M. Bonnet, Le Latin de Grégoire de Tours, Paris 1890.

2) Schuchardt, Vokalismus des Vulgärlateins I, 388: „praehendere gewöhnl. Schreibweise der ältesten Kodices“.

3) cf. Schuchardt, Vok. I, 449, ubi permulti loci ex cod. Med. Verg. enumerantur.

tutemquae[1]) 20.18; *usquae* 20.11; *aecclesia*[2]) 28.36, 29.5, 31.7; *aecquod*[3]) 36.6; *quidaem* 21.35, 25.1; *aeis*[4]) 36.32.

b) *ae* pro *e* longa: *faciae* 40.28; *speciae* 38.19; *haereditare*[5]) 22.18, 26.4; *caelare* 20.3; *permitaebantur* 32.3; *fecaerunt* 14.25; *septiaes* 22.16, 23.22; *piae*[6]) 19.32; *aecce* (?)[7]) 14.1.19.

c) *e* pro *ae:* Iam Lucili et Varronis temporibus *ae* nonnullorum vocabulorum in *e* abierat. Hic usus imprimis a quarto p. Chr. saeculo magis magisque crescebat. Itaque in eo quoque textu quem nos tractamus haec permutatio satis saepe occurrit:

prestare 23.7, 31.15; *preceptum* 27.6; *precurrere* 17.11; *aderens (= adhaerens)* 18.13; *cecus* 32.19; *celum* 11.25 etc.; *etternus* 22.26; *mesticia* 28.24; *querere* 27.33; *seculum* 19.34; *secularis* 35.7; *sepe* 42.7; *hec* 15.7; *ec (= haec)* 36.30; *ve* 33.28; *que* 11.6 etc.

Pro *ae,* diphthongo ea, qua casus I declinationis terminantur, tam saepe *e* est posita, ut unaquaeque pagina sat multa exempla praebeat.

2. oe.

a) *e* pro *oe: pena*[8]) 30.22 etc.; *penitencia* 35.20; *penitere* 12.12 etc.; *cep⟨it⟩* 20.15; *fetor* 34.5.6; *mecus (= moechus)* 32.10; *mecho* 31.22; *mechor* 31.21.

b) *ae* pro *oe: caepit* 20.13.

3. e.

a) *i* pro *e* longa: *dimergo* 28.26, 29.1.4, 30.4, 31.13.

---

1) cod. Par.: *virtutem / quae*; cf. supra pag. 41.

2) cf. Birt, Der Hiat bei Plautus u. d. lat. Aspiration, Marburg 1901 pag. 209.

3) „ec, Präfix in ecquis, wurde mit haec zusammengeworfen" Birt l. l. pag. 254.

4) *aei* iam a. 193 p. Chr. invenitur, cf. Schuchardt l. l. I, 434.

5) *haeredes* (Ravenna ca. 550) Schuchardt, Vok. I, 322.

6) cod. Par.: *pia egesserunt;* cf. supra pag. 41.

7) in cod. Par. utraque *a* est erasa, fortasse a m 2.

8) *penae* (Ravenna 564 p. Chr.) Schuchardt, Vok. II, 289.

Qua de permutatione dicit Buecheler[1]): „Fere nullus in libris manu scriptis error frequentior reperitur quam *de* et *di* syllabarum permutatio“.

Pro *es,* quibus litteris nom. plur. III decl. terminatur, *is* litterae scriptae sunt in his vocabulis: *potestatis* 18.26; *repromissionis* 23.11; *interioris* 24.7. In ea parte vocabulorum III decl., ad quam vocabula modo commemorata pertinent, haec scribendi ratio iam a IV p. Chr. saeculo in usum est recepta.[2])

Item *is* pro *es* exstat in II pers. sing. praes. act. II coniug.: *audis*[3]) 18.27.

Restant hae formae: *exigerunt* 25.9; *proficit*[4]) 39.20.

b) *i* pro *e* brevi[5]): *veriaris* 16.32; *confiteri* (Imp.)[6]) 19.33, 20.26; *moriretur*[7]) 20.16. 19; *morirentur* 31.16; *alienigina* 39.24.

4. i.

a) *e* pro *i* brevi: in exitu verborum: III pers. sing. ind. praes. act. III coniug.[8]): *adpraehendet* 27.8; *fallet et deducet* 15.5; *fluet* 37.17; *inducet* 23.32; *praecedet* 26.27; *psallet* 27.28, 28.5; *compsallet* 28.9.

III pers. sing. ind. perf. act.[9]): *convertet* 21.10; *precurret* 17.11; *conticuet* (?)[10]) 19.15.

---

1) Mus. Rhen. XIII, 598.

2) cf. Jubainville, La déclinaison latine en Gaule, Paris 1872 pag. 105 sqq.

3) cf. Schuchardt, Vok. I, 258: *habis, spondis* (Reate 557).

4) cf. Schuchardt, Vok. I, 313: *proficerunt* (Ravenna 551).

5) cf. Birt, Der Hiat bei Plautus pag. 218.

6) cf. Schuchardt, Vok. I, 455: *uteri* (Cod. Med. Verg.).

7) cf. Schuchardt, Vok. I, 405: *stringiretur* (301 p. Chr.).

8) cf. Schuchardt, Vok. II, 45. Exempla ab eo prolata docent hanc scribendi rationem inde a IV p. Chr. saeculo inveniri.

9) cf. Schuchardt, Vok. II, 46; cuius exempla demonstrant hanc permutationem iam III p. Chr. saec. exstitisse.

10) Lectio est incerta. Codex praebet: *conticuet non habet.*

II pers. sing. ind. praes.[1]): *curres* 17.2; *intelliges* 28.16; *scrutares et queres* 27.38.

I pers. plur. ind. perf. act.[2]): *emisemus* 23.16.

Restant hae formae verbales: *incederimus* 35.5; *astete-runt* 18.2; *contenebant* 33.9; *detenuerunt*[3]) 33.19.

Deinde *e* pro *i* brevi invenitur in nom. et. gen. vocabulorum III decl., ubi exitum habent in *is:* nominat.[4]): *aures* 12.34; *vermes*[5]) 34.20; *quales* 28.19; genet.: *mulieres* 13.27; *honores* 14.20; *orientes* 15.11; *dicentes* 20.35, 35.38; *senes* 29.33.

b) *e* pro *i* longa praeter in *treginta* (29.17) non invenitur nisi in exitu vocabulorum et verborum:

dat. plur. II decl.[6]): *colles* 33.8; *condignes* 23.7.

dat. sing. III decl.: *muliere* 41.22.

ablat. sing. adiect.: *ilare vultu* 21.25; *omne ora* 35.9; *a septentrionale* 33.36.

genet. gerundii et gerundivi: *psallende* 27.26; *cognoscende bone et male* 37.23.

infin. praes. pass.: *movere* 35.28; *orire* 19.14; *duce* 20.36; *loque* 40.27.

Notandum denique est *que* pro *qui:* 25.6 (sing.); 26.36, 34.13 (plur.).

5. o.

a) *o* brevis nusquam loco suo remota est nisi in vocabulo ex Graeca lingua assumpto *butriones* (23.3. 4).

---

1) cf. Schuchardt, Vok. II, 48; ubi similia exempla ex IV et sequentibus p. Chr. saeculis enumerata sunt.

2) cf. Schuchardt, Vok. II, 17; ubi inter diversa exempla unum ex cod. Pal. Verg. invenitur.

3) cf. Schuchardt, Vok. II, 24: *retenetur* (369 p. Chr.).

4) Pag. 19.1 *tales* exstabat, quod m 1 ipsa correxit in *talis*, unde concludi potest librarium interdum suam scribendi rationem adhibuisse.

5) Aut *vermes* est nom. sing., aut *abebat* corrigendum est in pluralem, qui numerus statim sequitur.

6) Pag. 36.20 *penes (= poenis)* m 1 ipsa correxit in *penis*.

b) *o* longa autem interdum littera *u* est compensata in exitu vocabulorum:

abl. sing. II decl.[1]): *de mundu* 16.18; *in celu* 17.2.

acc. plur. II decl.[2]): *indutus* 32.18, 33.7; *dimersus* 31.13.

6. u.

a) *o* pro *u* brevi: *gallicola* 11.17; *console* 11.9; *sulfor⟨is⟩* 32.14; *sulforem* 33.8; *misereator* 35.23.

b) *o* pro *u* longa in acc. plur. IV decl.: *fructos* 22.32 (bis), 23.1, 35.17; *hactos*[3]) 20.13.

De hac re dicit Schuchardt[4]): „Dass hier nicht sowohl ein Lautübergang als eine Verwechselung der IV mit der II Deklination stattgefunden hat, lässt sich daraus abnehmen, dass im Gen. S. und Nom. Pl. sich nur sehr selten *os* geschrieben findet."

Notandum denique est: *docere (= ducere)* 33.4.

7. qu.

c pro *qu* bis in eodem vocabulo reperitur: *corum* 15.9. 17; *qui* pro *cui* 40.2.

qui pro *cy*[5]): *Quinegius* 11.10.

8. y.

y pro *i* non invenitur nisi in nominibus propriis et in his vocabulis: *duodecym* 24.7; *oley* 24.19.

9. Iamiam omnia fere, quae ad vocales pertinent, peracta sunt, nisi quod duae restant formae quae in nullo capite antecedente poterant tractari:

---

1) In utroque vocabulo *u* permutata est in *o* fortasse a m 2; Schuchardt, Vok. II, 92: In den Inschriften der Kaiserzeit finden wir zahlreiche Formen in — u; vor allem in den christlichen.

2) *secundus, meus* (= acc. plur.) in Claudiani cod. Veronensi R; cf. Birt, Claudii Claudiani carmina (Berol. 1892) pag. CCV.

3) Pag. 32.29 *actos* (= nom. plur.) invenitur, quod ex librarii errore ortum videtur, cum *vos* antecedat; cf. supra pag. 41.

4) Schuchardt, Vok. II, 189.

5) cf. Birt, Mus. Rhen. LII Suppl. pag. 175 sqq.

a) *au* pro *a*: *auctorum*[1]) 13.32.

b) Pag. 16.4 m 1 praebet *spansam*, quod m 2 non intellexisse videtur, cum *sparsam* emendaverit. *spansum* praeterea exstat: Hist. Aug. II, 139.4 Jord.[2])

Cap. II. De consonantibus.

1. De consonantium geminatione.

Consonantium geminatio falso modo admissa modo omissa est. Certe etiam hac in re librarius saepe peccavit; videmus enim m 1 ipsam in codice interdum litteram aut addidisse aut delevisse. Exempla iam supra (pag. 41) enumerata sunt. Porro idem vocabulum modo recte modo falso scriptum est. Tamen singula profero exempla:

a) Geminatio falso est admissa:

apperire 11.18; *cappitulum* 27.6; *diacconus* 30.20; *etternus* 22.26; *hennarrare* 27.1; *Micchael*[3]) 40.11; *substullit*[4]) 21.8, 38.7; *pertullimus* 40.7; *retullerunt* 38.9; *obtullit*[5]) 11.19; *dessinuissent* 17.7; *adflicxe⟨runt⟩* 23.8; *complexsus* 21.24.

b) Geminatio falso est omissa:

in verbis littera *m* incipientibus et cum praepositione *cum* compositis: *comoverunt* 16.22; *comoverentur* 27.19; *comotam* 35.29; *comitentes* 32.9; *comemoracio* 34.11;

in verbis cum *ad* praepositione compositis: *aducuntur* 26.2; *atendebatis* 32.28; *aparere* 15.29;

in verbo *mitto* eiusque formis[6]): *mitam* 42.9; *mitat* 19.21; *mituntur* 15.23, 34.14; *comitentes* 32.9; *inmitunt* 28.36; *dimituntur* 22.20; *intermito* 35.10; *permitetur* 23.26; *permitebantur* 32.24; *permitaebantur* 32.3; *misus* 34.10;

---

1) cod. Par. praebet: *omni umauctorum* (cf. pag. 41). De *actor* et *auctor* vocabulorum permutatione cf. Birt, Mus. Rhen. LII Suppl. pag. 94.

2) cf. Schuchardt, Vok. II, 368.

3) cf. Birt, Der Hiat bei Plautus pag. 46 sq.

4) Haec scribendi ratio inde explicatur, quod *ll* inter duas vocales exiliorem habet sonum; cf. Birt, Mus. Rhen. LI pag. 258.

5) *l* prior erasa est, quod m 2 fecisse videtur.

6) Pag. 29.18 m 1 ipsa *mitantur* mutavit in *mittantur*.

in formis his: *fuisemus* 34.30, 36.26; *cognovisemus* 36.24. denique in vocabulis his: *gema* 26.35; *susuracio* 18.25; *ocansu* (= *occasu*) 28.20; *consumavit* 29.36; *subsanabantur* 41.26.

2. De consonantium permutatione.

a) *d* et *t* finales permutantur:

derelinquid 14.18; *inquid* 37.9; *semedipse* 14.11.

set 16.19 etc.; *aput*[1]) 11.23, 19.17, 40.34; *aliut* 17.32, 34.26, 36.25.

b) *c* et *g* sunt permutatae: *gallicole* (= *caligulae*) 11.17.

c) *p* pro *b* est scripta: *obpropria*[2]) 25.10.

d) Sequuntur exempla, in quibus aspiratio consonantium aut falso admissa aut omissa est:

ch pro *c*: *archa* 41.19; *archana* 11.6; *amichabiliter* 24.36; *dracho* 33.8; *in locho* 34.19; *hocchasus* 34.18.

c pro *ch*: *pulcrum* 39.11, 40.13. 28; *pulcros* 38.18; *pulcritudo* 15.22, 24.13; praeterea in hisce verbis Graecis: *cirographum* 20.10; *mecis* (= *moechis*)[3]) 32.10; *scisma* 16.9; *tartarucus* 29.32; *acerosius* (= ἀχερούσιος) 23.32, 24.1; *acerio-sus* 23.25.

ch pro *h*: *nichil*[4]) 16.11, 17.32, 18.16; *nichilum* 24.35.

th pro *t*: *cathena* 31.25; praeterea in hisce nominibus propriis: *Tharsus* 11,11; *Thigris* 37.11; *Mesopothamia* 37.12.[5])

t pro *th*: *tronus* 20.5, 26.33. 36, 27.2. 3; (*thronus* 35.30. 31. 32); *autenticus* 11.23.

f pro *ph*[6]): *fantasma* 11.18; *orfanus* 30.12, 31.35, 33.16; *profeta* 25.25 (praeterea semper *ph* est scriptum); *Eufrates* 24.19, 37.12.

---

1) Pag. 17.25 *aput* mutatum est in *apud*, quod m 1 fecisse videtur.

2) Cod. Par. praebet: *obpro pria*; cf. supra pag. 41.

3) cf. Plaut. Mil. v. 775, ubi pro *moechus* in cod. B. exstat *cecus*.

4) cf. Birt, Der Hiat bei Plautus pag. 180.

5) Post *p* in cod. *h* est erasa.

6) Lindsay, Die lat. Sprache, pag. 13: „Für φ erscheint regelmässig *f* erst seit Mitte des 4. Jahrh. n. Chr."

3. De vocalium aspiratione.

Iam grammatici antiqui saepe monent, ne *h* littera falso ponatur aut omittatur; quare non est mirum in eo quoque quem nos tractamus textu magnam exstare perturbationem.

a) *h* littera omissa est: in initio vocabuli: *abere*[1]) saepius occurrit quam *habere; abitare* 14.11; *abitus* 33.14; *aereditare* 26.4; *aereditas* 26.14; *ilarens* 21.32; *ilaris* 21.25; *omini* 22.5. 7; *ominum* 35.27; *ominibus* 41.29, 21.27 (cod.: *omnibus!*)[2]); *ora*[3]) 13.21 etc.; *ostia*[4]) 27.29; *umanus* 12.3, 35.2. 11. 36; *umiliare* 24.29, 25.11.

Formae pronominis *hic* sine *h* scriptae: *uius* 36.23; *anc* 36.34; *ac* 24.18, 25.17, 37.14; *orum* 18.16, 33.35; *arum* 24.21; *as* 32.6. 30; *aec* 20.10, 21.5. 15 etc.; *ec* (= *haec*) 36.30;

in initio vocabuli Graeci *h* omissa est: *ymnus*[5]) 17.23, 21.3, 24.3 (*hymnus* 37.29, 39.12, 40.31);

in vocabulis compositis, quorum altera pars littera *h* incipit: post consonantem: *exibere* 20.23. 24, 30.23, 33.15; *inabitare* 14.7, 29.30; *aderens* 18.13, *aduc* 33.33. 34; post vocalem: *proibere* 25.3; *coeres* 17.20;

in vocabulis non compositis inter duas vocales: *traebat* 32.8; *detraunt* 31.6.[6])

b) *h* falso est posita in initio vocabuli: *hab*[7]) 20.12; *habire* 18.24; *hac*[8]) 17.32, 19.7, 24.33, 31.5. 18; *haccedere* 18.34; *hactus* 20.13, 26.15; *hennarrare* 27.1; *henarrare* 22.8; *histe* 15.21, 24.16, 26.19, 29.1; *hibidem* 15.4; *hoccīdere* 13.21; *hoccīdere* 25.35, 36.12; *hocchasus* 34.18; *hoccasio* 14.26; *hoc-*

---

1) cf. Birt, Der Hiat bei Plautus pag. 234.
2) cf. Birt l. l. pag. 145.
3) cf. Birt l. l. pag. 145.
4) cf. Birt l. l. pag. 146.
5) cf. Birt l. l. pag. 129.
6) cf. Birt l. l. pag. 27 adnot. 2.
7) cf. Birt l. l. pag. 250.
8) cf. Birt l. l. pag. 156.

currere 13.29. 36, 15.26; *hoccursus* 16.32, 21.23; *horare* 14.10, 42.4. 9; *homnis*[1]) 13.20 etc.; *hordo* 26.35; *hos*[2]) 15.10; *hosculari* 21.25; *hostendere* 14.34, 21.7, 22.24; *hunus* 18.16, 20.2, 24.9, 29.18; *Hisaac* 26.6; *Hysaac* 38.22. 25, 39.29;

in vocabulo composito post consonantem: *adhorare* 17.8;

inter duas vocales: *deservihentes*[3]) 25.9; *Jhesus*[4]) 22.25, 37.34, 38.15, 39.27.

Restat ut pauca addam de m 2. Nam in priore libri parte m 2 saepe *h* addidit. Item saepius *h*, ubi falso erat posita, erasa est, ubi non potest dubitari, quin m 2 litteram deleverit, cum in altera libri parte, quam m 2 non perlustravit, hac in re nulla inveniatur correctio. Quare ea quoque exempla, quae in libro sunt mutata, supra enumeravi.

4. De consonantibus cum sibilo pronuntiatis.

Saepissime in eo textu, de quo agimus, *ti* syllaba, si vocalis sequitur, in sibilum abiit velut *malicia* 15.7. Cum unaquaeque textus pagina sat multa eius generis praebeat, exempla exscribere supersedeo. *ti* pro *ci* ante vocalem semel tantum exstat (*Nestio* 38.21), quae scribendi ratio raro atque sera aetate reperitur.

Praeterea *j* et *g* confunduntur[5]): *ganua* 21.9, 22.11, 25.14; *geiunium* 24.34; *Geremias* 25.24; *ienua* 28.26. 35; *ienere* 35.11.

Denique hic commemoraverim pro *x* inveniri *s*: *iusta* 23.32, 26.17. 23, 27.15, 35.32; *senes* 28.8, 29.34.

1) cf. Birt l. l. pag. 321.
2) cf. Birt l. l. pag. 262.
3) cf. Birt l. l. pag. 185: *deviholavet*.
4) cf. Birt l. l. pag. 117.
5) cf. Schuchardt, Vok. I, 69, qui pag. 70 concludit: „Aus den angeführten Formen ergibt sich, dass die Assibilation des g wenigstens im 5. Jahrhundert ihren Anfang genommen haben muss.“

5. De consonantium assimilatione.

In verbis compositis consonantium assimilatio haud raro neglecta est, idque imprimis in verbis cum *in* praepositione compositis velut *inmittere* 28.36.

Praeterea aliud assimilationis genus hic est commemorandum. Duo enim exstant exempla, quae demonstrant *d* litteram praepositionis *ad* assimilatam esse primae vocabuli sequentis litterae: *allitus* 22.30; *appotestate* 18.28. Eadem scribendi ratio bis adhibita est, ubi *a* praepositio vocabulo adiuncta est: *allatere* 30.23; *arradice* 22.36.[1])

Denique *linneus* pro *ligneus* exstat pag. 40.8.

6. De nonnullis consonantibus.

a) Saepissime in textu, quem tractamus, I pers. et III pers. sing. perf. act. confunduntur: velut *ego aspexit* 35.28, *misi* pro *misit* 11.22. Quam scribendi rationem librarium non ex archetypo hausisse inde concluditur, quod m 1 ipsa satis saepe haec menda correxit. Haec vitia ad neglegentiam ipsius librarii reducere maluerim quam ad usum serioris aetatis; quare singula exempla enumerare omitto. Restant nonnullae aliae formae verbales, quarum *t* finalis desideratur: *fecera* 16.14; *exire*[2]) 16.21; *hosculatus es* 21.25; *es benedictus* 33.31; *fleba* 21.25.

b) Progredior ad *n* litteram, quae ante *s* interdum falso irrepsit: *ocansu* (= *occasu*) 28.20. Eadem scribendi ratio, si in formis verbalibus, quae in *es* exeunt, adhibetur, efficit ut perperam participiorum formae nascantur. Exempla perspicua sunt haec: *Paule frater, magnam laudem habens aput dominum et homines* 40.34; *Non est personarum acceptio apud te sed retribuens unicuique secundum tuum iudicium* 17.25.

c) Denique de *m* finali verba sunt facienda. Iam ex grammaticis antiquis discimus *m* finalem parum ex-

1) cf. Tardif, Monuments historiques, Paris 1866, 50.9 *ad diae.*

2) Fortasse *t* omissa est, quia sequens vocabulum *d* littera inchoatur.

primi, ut Quintiliani verbis utar. Quare non est mirum, quod multa exstant exempla, quorum *m* finalis omnino est omissa. Huc ea non pertinent, ex quibus concludi potest acc. et abl. sing. esse permutatos; de hac re enim postea erit agendum. Hoc loco in hisce me continebo exemplis: *habent bonitatem et innocencia* 21.13; *lucet omnem terra* 22.15; *vidi alium sene* 30.8; *usque in secunda horam* 40.10; *non abentes superbia* 26.20; *offerebat hostia* 30.2; *oblacione offerentes* 33.17.

De vocabulorum et verborum declinatione.

Cap. I. De vocabulorum declinatione.

1. De nominum declinatione.

Permulta, quae huc pertinent, in parte quae fuit de orthographia iam sunt commemorata. Hic nonnulla sequuntur, quae supra non poterant tractari. Initium capio ab his exemplis:

viduae et orfanos non est misertus 30.11; *vidue et orfanos non sunt miserti* 33.16; *advene et peregrinum non suscipientes* 33.16.

Pauca verba de ultimo exemplo sunt facienda. Formam *advene* accusativi loco positam esse patet; atque plura huius rei exempla in libris serioris aetatis inveniuntur.[1]) Aliter iudicandum esse videtur de prioribus exemplis. Nam — ut infra demonstrabo — *misereri* nunquam in hoc textu accusativo adiunctum est sed plerumque dativo; quare accusativus *orfanos* dativi loco positus esse videtur. Atque huius quoque permutationis exempla apud eosdem auctores reperiuntur.[2])

Progredior ad alias formas notabiles. Pro *filii* (= nom. plur.) exstat pag. 12.32 *fili*. Vocat. sing. eiusdem voca-

1) cf. Jubainville l. l. pag. 17.
2) cf. Jubainville l. l. pag. 61.

buli in hoc textu est *filius: Miserere nobis, filius dei* 35.25; *Miserere, filius dei excelse* 36.3; *Benedicimus te, filius dei* 36.21.

Cum *m* finalis — ut supra iam commemoravi — his temporibus nihil valeret et *o* et *u* litterae confunderentur, fieri non potuit, quin accus. et abl. sing. II decl. interdum permutarentur. Exempla sunt haec: *in qualem loco ducuntur* 15.2; *in loco hunc* 25.31; *usque ad XII^{mo} murum* 26.28; *super obolisco igneum* 32.23. Praeterea non est dubium, quin pag. 11.12 cum m 1 scribendum sit *fundamento*, nam singularis et in Latino textu (pag. 11.15) et in Graeco (*τὸν θεμέλιον*) reperitur.

Gen. plur. vocabuli *fructus* semel habet formam contractam: *fructum* 13.12.

Gen. sing. V decl. exitum habet in *e*: *refrigerium die uius* 36.23; *locus glacie* 31.33.

Saepissime in vocabulis III decl. *i* et *e* litteras permutatas esse supra iam dictum est. Restat, ut duos locos commemorem: *locus glacie et nive* 31.33; *nubes magna igne* 16.4. Non potest dubitari, quin *nive* et *igne* sint genetivi, praesertim cum hae formae ne in aliis quidem libris infimae aetatis rarae sint.[1]) Exempla, quae in textu quem nos tractamus exstant, facilem habent explicatum. Nam certe in priore exemplo genetivus *nive* ex antecedente forma *glacie* ortus est. Genetivus *igne* alterius exempli a vocabulo ex littera *s* incipiente excipitur; quam rem observandam esse docuit M. Bonnet, qui, postquam singula huius genetivi exempla, quae apud Gregorium Turonensem exstant, enumeravit, haec dicit[2]): „Il convient cependant d'observer que dans deux des cas cités l'*e* est suivi de mots commençant par *s*. Il se pourrait que cette *s* représentât *ss*."

Multae denique formae propterea falso sunt fictae, quia declinationes confundebantur.

1) cf. Jubainville l. l. pag. 90 sq.
2) M. Bonnet l. l. pag. 343.

a) I et III decl. confunduntur: *plasmam*[1]) 32.33 (acc. *plasma* 33.1); *plasmae* 35.27; *omnem operam quam* 13.30; *operam* 17.13; *operam tuam* 20.26; *operam suam* 30.13; *operas*[2]) 19.7; *diademas aureas*[3]) 26.34. Pag. 13.4 *magia* eandem formam habet in accus. atque in nom. Hic error declaratur observatis ceteris formis, inter quas vocabulum invenitur: *adulteria homicidia furta periuria magia maleficia.*[4])

b) II et IV decl. confunduntur: Duae formae abl. sing. II decl., quae exitum habent in *u*, supra iam commemoratae sunt. Item supra iam dictum est *fructus* et *actus* in accus. plur. interdum exitum habere in *os*. Restat tantum, ut commemorem *actus* in gen. plur. pag. 13.32 formam *actorum* habere.

c) II et III decl. confunduntur: *milia* in genet. habet formam *miliorum* 18.32, 23.3 (*milium* 17.21, 21.3).

2. De pronominum declinatione.

a) Pro *nostrum* invenitur *nostrorum* pag. 19.1: *Auferatur talis anima de medio nostrorum.*[5])

b) Pronomina *hic* et *is*[6]) saepe confusa esse non est mirum; nam *ii* et *iis* pronuntiabantur quasi monosyllaba[7]); itaque a formis *hi* et *his* non differebant nisi littera *h*, quam falso modo additam modo omissam esse iam supra vidimus.

is.

Nom. plur. masc. = *hii: usque ad superlicia dimersi hii sunt, qui innuunt sibi* 29.6; *qui sunt hii, domine, que mituntur in hunc puteum?* 34.13.

---

1) cf. E. Appel, de genere neutro intereunte (1883) pag. 69.

2) *s* finalis erasa est, fortasse a m 2.

3) Utraque *s* finalis erasa est; cf. Appel l. l. pag. 66.

4) Fortasse scribendum est *magica*; cf. Weymann, Arch. fr. lat. Lexicogr. u. Gramm. IX pag. 138.

5) cf. Neue-Wagener, Formenlehre II pag. 359.

6) cf. H. Ziegel, de is et hic pronominibus quatenus confusa sint apud antiquos (Marpurgi 1897) p. 16 sq.

7) cf. Neue-Wagener, Formenlehre II pag. 381.

Dat. et abl. plur. = *his*[1]: *Ubi est fructus tuus quem fecisti pro his quibus accepisti bonis dignum* 19.12; *flumina que decurrunt sufficiente⟨r⟩ his qui sunt in ac terra* 24.17; *multi fructus constituti in conspectu eorum, et non permitaebantur sumere ex his* 32.3.

Abl. plur. = *is*: *Et respondit unus ex is* 42.3.

hic.

Nom. plur. masc. = *hii*: *Hii sunt angeli iusticiae* 15.23; *Qui sunt hii, domine?* 28.34; *Hii sunt malefici* 31.15; *Qui sunt hii? . . . Hii sunt fornicatores* 31.19 etc.

Nom. sing. masc. = *haec*[2]: *haec est Enoc* 21.30; *haec est lacus* 23.25; *haec est Noe* 41.15; *haec est oceanus* 28.22.

Nom. sing. masc. = *hec*: *hec est oceanus* 22.14; *hec est Lot* 40.15.

Nom. plur. fem. = *haec*[3]: *haec sunt ⟨mu⟩lieres* 32.32; *haec sunt que cum essent virgines . . .* 31.28.

Duae restant formae: *terra hac* (= nom.) 22.21; *haec ho⟨ra⟩* (= abl.) 13.21.

c) Progredior ad pronomina *qui*, *quis* etc., quorum formae non minus sunt confusae. Plerumque ex permutatione *i*, *e*, *ae* litterarum haec perturbatio orta est:

qui = fem. sing.: *domus qui* 11.11; *beata gens qui* 39.33, 40.12. 26, 41.34; *qui est ista* 37.30;

qui = neutr. plur.: *quattuor flumina qui* 24.13; *dabit deus maiora his septiaes qui nunc ostendam tibi* 23.22;

que = masc. plur.: *vidi tronos que* 26.36; *maligni angeli dominati sunt ipsius; que cum educerent eam . . .* 18.7; *qui sunt hii, domine, que mituntur in hunc puteum?* 34.13;

que = masc. sing.: *Nunquid meliores sunt filio dei, que ad Iudeos venit?* 25.5;

que = fem. sing.: *oblivio que* 15.5 etc.;

---

1) cf. Birt l. l. pag. 147.

2) Pag. 37.9 scriptum erat: *haec est fluvius*; sed m 1 ipsa *haec* mutavit in *hic*.

3) cf. Neue-Wagener, Formenlehre II pag. 417.

que = neutr. plur.: *pro operibus que* 18.33; *loca que* 19.29 etc.;

quidam = *quodam: habitante quidam honorato* 11.10;

qui = *quid: qui est alleluia* 27.32; *ob qui nati sunt* 33.29;

quid = *qui: quid estis vos* 40.1;

quis = *quid: quis est hoc* 23.25; *si quis fecerit unus quisque* 40.24.

d) Denique hic commemoraverim formas inusitatas adiectivi *alius*: neutr. sing. = *alium* 11.21 [1]); dat. sing. = *alio* 20.32.[2])

Cap. II. De verborum declinatione.

Passivum et activum confunduntur: *vidi movere celum* 35.28. Hic *e* et *i* litterae permutatae sunt, quod saepius in forma inf. pass. occurrit.[3])

Verbum deponens *moechari* in una eademque sententia duas habet perfecti formas: *mechati sunt* 31.21; *mechaverunt* 31.22.

Paenitere et activi et deponentis habet formas: *dum ad usque convertentes peniteantur* 12.12; *quousque peniteamini* 18.18; *penitemini* 41.24; *dum ad usque convertantur et peniteant* 12.21. 29, 13.16.

Praeterea offendimur formis pass. in his locis: *Vos autem dicebamini: Hii sunt iusti et servi dei; nunc cognovimus quoniam vocati estis nomen domini; propter quod et ipsi solvuntur propriam penam* 33.25—27; *Cum mittuntur illic anime vix post quingentos annos perveniuntur in profundum* 29.24.

Ex confusione diversorum coniugationis generum multi errores orti sunt: *audis* = *audes* 18.27; *agnoscat* = *agnoscit* 41.29; *exuans* = *exuens* 41.20; *serviunt* = *servant (?)* 26.1; *moriretur* = *moreretur* 20.16. 19; *morirentur* = *moreren-*

1) cf. Neue-Wagener, Formenlehre II, 531.

2) cf. ibidem II, 536.

3) cf. supra pag. 46.

tur 31.16; *morarentur* = *morerentur* 29.3; *concubentes (concubare* et *concumbere* confusa sunt) 32.34.

Plerumque formae III et II coniug. permutatae sunt. Multa exempla, quae huc pertinent, iam supra (pag. 45) enumeravi. Cetera hic sequuntur: *adferet (= adfert)*[1]) 23.6; *exultant et psallent* 26.21; *Christus sedet . . . et David psallet* 27.28; *si quis psallet et praesentes qui sunt non psallent, peccatum faciunt quia non compsallent* 28.5; *qui valet et non compsallet* 28.9; *protegent et conservant* 13.27.

Falsae perfecti formae quae inveniuntur sunt hae: *occīdo: hoccisi* 25.35; *proicio: proicerunt* 30.24; *secare: secavi* 40.2; *studere: studii* 41.21; *tondere: tundi* 41.20; *vendere:* perf. pass. = *venditus fui* 39.4. Aliae formae verbales supra (pag. 45 sq.) commemoratae sunt.

Restant nonnullae formae verbi *ire: exiebant* 15.12, 41.2; *ci⟨r⟩cuiencia* 24.16; *introente* 25.19; *pertransivit* 19.2.[2])

Cap. III. De comparatione.

Comparativus significatur adverbio *magis: magis misericors* 29.27, 33.30. Formae comparativi adverbium *magis* additum est: *magis peiora* 36.30. Denique comparativus circumscribitur hunc in modum: *aque candide valde super lac* 23.24.

Superlativus saepe significatur adverbio *valde: in profundo valde* 29.10; *angustus valde* 31.3; *niger valde* 31.18; *durus et malignus valde* 34.6; *pulcher valde* 38.18, 40.28.

Cap. IV. De nomine numerali.

Ad multitudinem innumerabilem significandam verba *milia milium (miliorum)* adhibentur: *audivi voces post haec milia milium angelorum* 17.21; *viderunt eam omnes angeli milia miliorum exclamaverunt* 18.32; *audivi milia milium angelorum* 21.3.

---

1) cf. H. Rönsch, Itala und Vulgata, Marpurgi 1875 p. 286.
2) cf. Rönsch l. l. pag. 289 sq.

milia genetivo non est adiunctum in locis hisce: *super X milia fructos* 23.1; *X milia arbusta* 23.2; *X milia butriones* 23.3; *angeli quasi tria milia* 24.3.

unus et unus = *unus et alter: vix unus et unus ingreditur in ea loca* 22.3; *si fuerint anime .... permanentes huna super hu⟨nam⟩* 29.18.

alius = *alter: non recedit alter ab alio* 40.32.

De dictionum constructione.

Cap. I. De numero.

Verbum numerum singularem habet, quamquam subiectum habet pluralem, si subiectum neutr. gen. est, ut pro forma fem. sing. accipi potuerit[1]): *omnia opera tua qualiter se abet*[2]) 16.31; *et opera bona et peccata manifestatur* 20.5.

Cap. II. De genere.

arbor et masc. et fem. habet genus:

a) masc. *vidi arborem plantatum* 37.13; *super arborem hunc* 37.21.

b) fem.: *singule arb⟨ores⟩* 23.4; *super arborem illam* 37.15; *arbor aec ipsa est que* 37.16; *ostendit aliam arborem* 37.26; etc.

labor fem. habet genus: *per multas labores* 22.2.

flumen masc. habet genus, quod respondet Graeco ποταμός: *flumen que* 22.12; *flumen currentem* 22.29.

Item interpres genus Graecum in suum textum recepit pag. 36.34: *est enim aec iudicium dei,* ubi in Graeco haec fere verba exstitisse videntur: αὕτη ἐστὶν ἡ κρίσις.

Adiectiva quae accusativo neutrorum II declinationis adiuncta sunt, formam habent masc.: *super omnem saeculum* 41.33; *quem responsum datura es?* 18.33.

---

1) cf. M. Bonnet l. l. pag. 499.

2) cf. supra pag. 55.

Restant nonnulli loci, de quibus aliter erit iudicandum: *oves quas pascebam dispersi sunt et facti sunt* 39. 20. Genus masc. fortasse propterea in textu est positum, quia auctori in mentem venerant Judaei, qui hoc loco per imaginem oves sunt nominati.

ad eos (luna et stellae) 12.18. Luna et stellae hic quasi homines in scenam prodeunt.

impietates et fornicaciones et homicidia quas 12.15. Neutr. plur., cum in *a* exeant, formae fem. esse visae sunt.

vulnera . . . . facti sunt 41.3. Hoc loco subiectum longe distat a verbo.

Cap. III. De casibus.

1. De casibus praepositionibus non adiunctis.

a) Verba, quae falso accusativo sunt adiuncta, haec sunt: *benedicere: benedicere dominum deum* 13.19. 33, 23.34, 28.4. 10; *benedicamus eum* 28.2; *benedicimus te* 36.21; *nocere: nocui eam* 20.30; *orfanos et viduas et pauperes nocuerunt* 31.35; *nocemur*[1]) *ab hominibus* 21.27; *noceor super omnem creaturam* 13.2. 10; *ego noceor prae ceteris* 30.18; *beatus est ille qui nocetur* 39.8; *obviare: obviaverunt eam* 18.25; *studere: continenciam studui* 41.21; *lucere: lumen lucet omnem terra* 22.15; *apparere: praeceptum dei apparuit celum et terram* 37.20; *permittere: permitte me* 12.8. 24 (*permitte mihi* 13.12, *nobis* 12.17); *non omnis homo permitetur ingredi* 23.26; *non permitaebantur sumere* 32.3; *non permitebantur dicere* 32.24; *operari: aliut laboris nihil operati essemus* 36.25; *negotiari: nihil negociati fuisemus* 36.26; *intendere: non intendentes ea* (sc. verba dei) 31.7; *currere = percurrere: fluvius Physon currit omnem terram Evilae* 37.9; *Geon currit totam terram Egypti et ⟨E⟩thiopie* 37.10; praeterea *currere* transitive est adhibitum: *vidi flumen currentem lac et mel* 22.29.

Nomen substantivum accusativo adiunctum est pag. 29.4: *hi sunt detractores alterutrum convenientes in aecclesiam dei.*

---

1) cod. Par.: *uocemur;* James. coni.: *vexamur.*

plenus c. acc.: *panni picem pleni et sulforem ignis* 33. 7; *plus* c. acc.: *plus mercedem accipiam* 41. 8.

Pronomen demonstrativum ad casum relativi quod sequebatur attractum est in locis his: *hu⟨nc⟩ quem vides iustus est* 16. 13; *istum quem vides presbyter fuit* 29. 36; *hunc quem vides episcopus fuit* 30. 8; *istum quem vides diaconus fuit* 30. 19; *istum quem vides lector fuit* 30. 28.

Pag. 19. 12 pronomen relativum ad casum demonstrativi attractum est: *Ubi est fructus tuus quem fecisti pro his quibus accepisti bonis dignum?*

b) Verba, quae falso dativo adiuncta sunt, haec sunt: *praecedere: murus praecedens huic loco* 26. 25 (c. acc.: *unus alium praecedit* 26. 29); *adorare: IV^or milia*[1]) *adorancia deo* 35. 30; *detrahere: detraunt in aecclesia verbo dei* 31. 7; *misereri: neque ei miserebitur deus* 19. 19; *nemo misertus est eis* 29. 13; *miserere nobis* 29. 13 etc.; *miserere nobis et generi umano* 35. 2; *miserere plasmae tuae, miserere filiis ominum, miserere imagini tue* 35. 27; *viduae et orfanos non est misertus*[2]) 30. 11; *vidue et orfanos non sunt miserti*[2]) 33. 16 (*misereri* c. gen.: *miserere mei* 19. 26, 30. 7. 17; *eius miserebitur* 19. 18).

c) Verba, quae genetivo falso sunt adiuncta, sunt haec: *dominari: sancti dominati sunt anime eius* 16. 20; *maligni angeli dominati*[3]) *sunt ipsius* 18. 7; *uti*[4]): *non sunt usi potestatum arum rerum* 24. 21; *esse* c. genet. significat aetatem alicuius: *ex quo ce⟨pit⟩ XV esse annorum* 20. 15; *esse* omissum est: *ex quo caepit annorum XV* 20. 13; praeterea *esse* c. genet. exstat pag. 18. 15: *si fuissem meae potestatis.*[5])

Pro abl. comp. genetivus invenitur pag. 33. 35; *videbis*

---

1) Non dubito, quin Jamesii coniectura sit probanda, qui pro *milia* scribendum esse *animalia* putat.

2) cf. supra pag. 53.

3) cod. Par.: *comminati.*

4) Fortasse cum Jamesio scribendum est *potestatem*; cf. supra pag. 41.

5) In Syro textu respondent haec: Hätte ich über mich selbst verfügen können.

orum maiora septies 33.35; genet. temporis exstat pag. 19.14: *posui distanciam inter te et iustum unius diei?*

condignus duos casus secum habet pag. 18.11: *peccatis tuis condignum et impietatum tuarum.*

d) Addo, quae dicenda sunt de ablativo et accusativo absoluto. Abl. abs. adhibitus est, quamquam participium ad vocabulum sententiae ipsius pertinet: *ingredientibus his trib⟨uet⟩ eis haec dominus* 24.23; *haec illis loquentibus irati sunt aeis angeli maligni* 36.31; *accepto eo iudex misit imperatori* 11.19.

Acc. abs.: *Me intendentem lignum vidi virginem* 37.28; *adhuc eos loquentes vidi alios* 38.33; *quod acceptum*[1] *imperator reseravit* 11.21.

e) De nominibus et adverbiis, quae locum significant, haec fere sunt commemoranda: Nomina oppidorum praepositionem secum habent: *exemplar misit ad Jerosoli⟨ma⟩* 11.22; *Lot qui in Sodoma iustus inventus est* 40.15. 18. Abl. pro gen. locali est positus: *habitante quodam honorato Tharso*[2]) 11.11.

Verba, quae motum significant, adverbiis interrogativis et demonstrativis *ubi* et *hic* adiunguntur: *ostendam tibi locum ubi ducuntur* 14.35; *ubi curres?* 17.2; *ubi perges?* 18.26; *sancti praecati sunt, ut venires hic* 38.1.

illuc pro *illic: audivi illuc verba* 22.6.

illic pro *illuc: cum mittuntur illic animae* 29.24.

2. De praepositionum usu.

ad.

Haec praepositio saepe significat personam, ad quam sermo dirigitur: *factum est verbum domini ad me dicens* 11.25; *facta est vox ad eum* 12.9; *ad eam* 19.11; *ad eos* 12.18, 14.15; *ait ad illam* 18.13; *dixit ad me angelus* 25.36; *referens ad dominum* 18.14; *legerat ad populum* 30.29.

ad significat tempus, quo aliquid fit: *ad oram* 17.28.

1) In Graeco respondent haec: ὅπερ δεξάμενος.

2) cf. Graeca verba: ἐν Ταρσῷ τῇ πόλει.

ad praepositio adhibetur ad significandum locum, ubi aliquid fit: *offerebat hostia ad sanctum altare eius* 30. 2.

ad = εἰς: *labores ad nihilum disputati* (39. 22) = ὁ μόχθος εἰς οὐδὲν ἐλογίσθη.[1])

usque.

usque c. acc.: *de Ruben usque Beniamin* 39. 3.

retro.

retro c. acc.: *iusti sunt retro me venientes obviam tibi* 38. 13.

a.

a praepositio adhibita est ablativi loco: *arbor a ventum comota* 35. 28.

de.

Haec praepositio saepe invenitur, ubi *ex* aut *a* praepositiones expectantur: *exire de saeculo* 38. 1, *exire de corpore* 16. 21, 17. 31 etc.; *exire de mundo* 21. 20, 25. 29 etc.; *exire de celo* 22. 14; *exire de aecclesia* 28. 36; *emittere de ore* 23. 16; *educere de corpore* 18. 7; *vermas procedebant ex ore eius et de naribus eius* 30. 16; *elevare de terra* 40. 11; *ascendit de ore nostro* 36. 28; *sus⟨cipi⟩entes animam de cor⟨po⟩re* 16. 25; *anima minabatur de corpore* 18. 3; *auferatur anima de medio nostrorum* 19. 1; *de Ruben usque Beniamin* 39. 3.

Praepositio *de* posita est pro genet. partitivo: *aliquis de eis* 39. 20; *evacuatur aliquid de gloria ipsius* 26. 31; *unius cappituli memores de preceptis* 27. 6.

Eodem sensu haec praepositio adhibita est in exemplis sequentibus, sed omissum est substantivum aut pronomen, ex quo cognosci possit, quanta sit pars[2]): *quando voluerunt de civitate violare eos* 40. 19; *vide quid fecerunt filio dei de populo tuo* 39. 32; *hi sunt de gentibus* 32. 20; *manducabunt de bonis* 22. 27.

de pro abl. instrumentali: *angeli abentes ferrum de quo*

---

1) cf. supra pag. 22 sq.

2) cf. M. Bonnet l. l. pag. 611.

perfodiebant viscera 29.32; *venit angelus abens novaculam et de ea scindebat labia* 30.25.

Denique huius praepositionis usus notabilis est in sententia hac: *coronam de spinis portavi* 36.8.

in.

Haec praepositio plerumque pro ablativo est posita, quod ex hisce cognoscitur exemplis: *unus alium praecedit in gloriam* 26.29; *murus praecedens in honore huic loco* 26.25; *superas omnem hominem in mansuetudinem* 39.17; *in his omnibus malis inquinaverunt sanctum locum tuum* 13.8; *operati sunt in his in multa diligencia* 27.6; *dimisit unumquemque in propria voluntate eligere bonum et malum* 33.32; *iratus est in furore* 19.35; *tenebat in manibus suis* 27.16.[1])

Praeterea notabilis est huius praepositionis usus hac in sententia: *non adferunt in bono* 35.13.

Saepe *in* adhibetur pro ablat. temporis: *in hora* 15.15, 16.16 etc.; *in tempore* 16.34, 17.15 etc.

super.

Huic praepositioni adiunguntur verba, quae animi motum significant: *gavisi sunt valde super me* 24.5; *ploravi et ingemui super genus hominum* 29.25; *fleverunt super filium dei* 39.30.[2])

super = *in*: *inabitat super terram* 29.30.

esse super aliquid = *praeesse alicui rei: angeli qui super penas erant* 32.35; *traditi sunt angelis Tartari qui erant super penas* 33.4; *venit angelus qui super penas erat* 30.25.

super adhibetur apud comparativum: *plus diligit unum iustum super omnem saeculum impiorum* 41.33; *melius est nobis refrigerium die uius super omne tempus vite nostre* 36.22; *aque candide valde super lac* 23.24; *ego noceor super omnem creaturam* 13.2.10.

---

1) cf. Graeca: κατεῖχεν ἐν ταῖς χερσίν.

2) Pag. 39.18 codex praebet: *fleveo ego pro his de quibus plantavi.* Sine dubio ita corrigendum est: *fleveo ego de his pro quibus plantavi.*

Denique adnoto hunc locum: *iustum est super vos iudicium dei* 32.28.

pro.

Adiectivum *dignus* huic praepositioni adiunctum est: *Ubi est fructus tuus quem fecisti pro his quibus accepisti bonis dignum?* 19.12.

Restat ut pauca addam de casibus, qui praepositiones sequuntur. Plerumque praepositiones falsis casibus adiunctae sunt in numero singulari, cum *m* finalis nihil valeret et *o* et *u* litterae permutarentur. Exempla sunt haec: *a ventum* 35.29; *a lacum* 28.13; *ante constituta ora* 32.4; *coram dominum deum* 27.8, *cum fiduciam* 27.23; *cum dilectissimum Paulum* 35.22; *cum omnes sanctos suos* 22.26; *de celum* 34.35; *de mundum* 39.10; *per virtute et dulcitudine* 38.11 *per labore abrenunciacione et sanctificacione et humilitate et caritate et mansuetudine et recta fide* 38.28; *post multarum orarum* 29.23; *prae ceteros homines* 24.34; *propter Michaelo archangelo* 36.14; *vermes qui sub nos sunt* 36.30.

Omitto singula exempla proferre, in quibus *in* praepositio falso casui adiuncta est, cum unaquaeque pagina exempla praebeat.

Cap. IV. De verbo.

1. De verbo in sententiis non compositis.

a) De temporibus.

Praesens pro futuro est positum: *quando venit Christus tunc dissolvitur terra prima et aec terra hostendetur et erit* . . . 22.22; *deus retribuit ei cum venerit ad eum* 40.24; *cognovisti quoniam quecumque fecerit unusquisque vestrum videt?* 17.27; *beatus es si ingressus fueris* 21.11; *si quis missus fuerit . . . et signatum fuerit super eum, nunquam comemoracio eius fit* 34.10; *omnis qui contristaverit animam suam et non facit propriam voluntatem suam propter deum cum exierit de mundo et ductus fuerit ad dominum deum et adoraverit eum, tunc iussu dei traditur Michaelo et inducit eum in civitate* . . . 25.28; etc.

Inf. praes. pro inf. fut.: *sperant te videre* 37. 3.

Praesens positum est pro perfecto: *Infantes interpellant deum et angelos qui super penas erant* 32. 34; *invenio enim in te locum refectionis in tempore quo habitavi in te* 16. 34; *postquam adorant dominum deum traduntur Michaelo* 26. 2; *dicit* pro *dixit* 39. 13, 40. 30, 41. 5. 15.

In formis verbalibus, quae ex participio et formis verbi *esse* sunt compositae, pro formis *sum, eram* etc. formae *fui, fueram* etc. saepe sunt adhibitae: *quicunque non misertus fuerit neque ei miserebitur deus* 19. 19; *beatus es si ingressus fueris* 21. 11; *si quis missus fuerit . . . et signatum fuerit super eum, nunquam comemoracio eius fit* 34. 10; *cum ingressus fuissem . . . exivit homo senior* 21. 22; *cum apertus fuisset puteus, statim surrexit ex eo fetor* 34. 5; *melius erat nobis si non fuissemus nati* 34. 30; *ego sum qui fui venditus* 39. 4; *necessario iusti et peccatores hoccurrunt testes cum mortui fuerunt?* 15. 26; *melius erat ei si non fuisset natus* 18. 4; *si cognovisemus . . . nihil negociati fuisemus* 36. 26.

Interdum formae verbales compensantur participio praesentis cum formis verbi *esse: non est aque diluvium veniens in hunc mundum* 41. 30; *omnes iusti sunt retro me venientes obviam tibi* 38. 13; *arbor erat adferens fructos* 22. 31; *erat stans super lacum* 24. 1; *angeli dicentes erant* 24. 3; *erat gemens et plorans* 30. 16; *erat innuens mihi angelus* 37. 8, *erat quidam stans*[1]) 27. 15; *erant in ⟨fo⟩vea et decurrentes in flumine* 32. 14; *erant omnia exultancia* 35. 31; *si fuerint permanentes* 29. 17.

Part. fut.: *quem responsum datura es?* 18. 34.

b) De modis.

Infinitivus sequitur verba, quae motum significant: *proficiscuntur ⟨ado⟩rare et offerre* 13. 21; *hoccurrunt adorare et offerre* 13. 29; *procedunt ut hoccurrant adorare* 13. 36; *venerunt adorare* 14. 2. 20, 20. 4; *mituntur adducere animas* 15. 23; *euntes*

1) cf. Graeca: ἦν τις ἑστώς.

aparere 15.29; *cum haccesseris adorare* 18.34; *cum iam ingredi celum habiret* 18.23; *veniet habitare* 22.26.

Participium saepe adhibetur. Paulo ante iam vidimus quaedam tempora esse compensata participio et formis verbi *esse*. Praeterea autem nonnulla exempla inveniuntur, ex quibus cognoscimus participium solum eodem modo usurpatum esse omissis formis verbi *esse*. Exempla sunt haec: *histi sunt qui devoverunt se deo et non abentes superbiam* 26.19; *operati s⟨unt⟩ in his et studium rectum habentes coram dominum* 27.6; *vidue et orfanos non sunt miserti, advene et peregrinum non suscipientes neque oblacione offerentes et proximo non sunt miserti* 33.16.

In exemplis modo enumeratis ad singula participia verbum *sunt*, quod ipsum antecedit, mente iterum supplendum esse videtur; non autem antecedit in exemplis his: *cognoscite quia omnis creatura serviens deo, umanum autem genus solum peccat* 12.2; *ingressus autem interius et vidi* 37.13; *ex ea accipiens a muliere sua Adam et manducavit* 37.24; *hii sunt qui usuras usurarum exigentes et contendentes in diviciis suis non sperantes in deum* [1]) 30.36; *respondens angelus et dixit mihi* 23.35, 26.26. 29 etc.

Verba *intermitto, cesso, quiesco* participium sequitur: *non intermito uno die vel una nocte orans pro ienere umano* 35.10; *ipsi autem non cessant facientes iniquitatem et fornicationes* 35.12; *non quiescam benedicens dominum* 41.7.

2. De temporibus et modis in sententiis compositis.

In sententiis condicionalibus indicativus pro coniunctivo invenitur: *melius erat nobis si non fuisemus nati* 34.30; *melius erat ei si non fuisset natus* 18.4; *etiam si sol oriatur super eos non calefiunt* 34.27.

Accusativus c. inf. saepissime compensatur particulis

---

1) Non dubium esse videtur, quin in Graeco extiterint: *οὗτοί εἰσιν οἱ* c. ptc.; interpres articulum falso vertit relativo.

quod, quia, quoniam, ut quas plerumque indicativus sequitur:

quod c. ind.: *non audisti quod scriptum est?* 22.18;

quod c. coni.: *non speraverunt in domino quod possint abere eum adiutorem* 29.16; *intelliges quod hinc eas?* 28.16;

quia c. ind.: *cognoscite quia omnis creatura serviens deo umanum autem genus solum peccat* 12.2; *cognoscant quia tu es deus* 12.9.18; *cognoscat quia est deus* 18.30; *quis est qui denunciavit nobis quia est iudicium illic?* 17.34; *cognoscite quia angeli referunt* 14.32 etc.;

quia c. coni.: *audivimus quia esset iudicium* 35.5;

quoniam: cognoscant quoniam tu es deus solus 12.26; *scitote quoniam vobis constituetur mea gratia* 14.15; *credidisti et cognovisti quoniam quecumque fecerit unusquisq⟨ue⟩ vestrum videt ad oram nec⟨es⟩sitatis?* 17.26; *scit quoniam sunt pene* 29.28; *cognovimus quoniam vocati estis* 33.26; *dicunt quoniam Christus non resurrexit et quoniam haec caro non resurgit* 34.23; *dico quoniam si quis modicum boni fecerit ego agonizabo pro ipso* 35.18; *si cognovisemus quoniam propositus hic est qui peccant . . .* 36.24; *iuro quoniam si penituisset oblivis nunc fieret* 20.18;

ut pro inf.: *superbum esset et indignum ut non benedicat dominum deum* 28.10.

In sententiis secundariis interdum indicativum reperimus, ubi coniunctivum expectamus, quod saepe occurrit in enuntiatis interrogativis, quae non sunt directa: *quo tempore palam facta est* 11.9; *ostendam tibi animas peccatorum in qualem loco ducuntur* 15.1; *volebam expectare animas et videre quo scismate exeunt de corpore* 16.8; *videamus si est aliquid nostrum in te* 17.3; *videamus si abemus in te peculiaria nostra* 18.27; *obquare unus alium praecedit in gloriam significa mihi* 26.28 etc.;

ut finale c. ind.: *propterea derelicti sunt in hoc loco, ut quando ingreditur Christus introente eo homnes iusti petunt pro his et tunc cum illis ingrediuntur in civitate* 25.17;

ne c. ind.: *timens ne quid alium est* 11.20;

cum c. ind.: *cum autem quievit loqui mihi duxit me foras* 28. 11.

Pronomen relativum modo indicativus modo coniunctivus sequitur nulla facta distinctione. Quam rem manifestissime demonstrant exempla haec: *beata gens qui credidit verbo tuo* 39. 33; *beata gens qui credidit per te* 40. 12; *beata gens qui crediderit verbo tuo* 40. 26; *beata gens que crediderit per te* 41. 10. 34; *operam tuam confiteri quam gesseris in his quas vides animas* 20. 26; *ii sunt quicunque non confessus fuerit* 34. 14; *unusquisque recepit secundum que fecerit* 20. 34; *angelus gaudens de homine quem inhabitet* 13. 24;

dum c. coni.: *dum in* ⟨*cor*⟩*pore essem* 11. 24; *dum essem in terra* 16. 35;

eo quod c. coni.: *beatus es si ingressus fueris in his portis eo quod non concedatur ingredi nisi solis qui* . . . 21. 12.

Cap. V. De pronomine reflexivo.

Pronomen determinativum positum est pro reflexivo: *qui inabitant terram . . . abentes in manibus incensa cordis eorum* 14. 9; *et factum est ei in illa ora qua minabatur de corpore eius ad iudicium* 18. 3; *vidi angelos . . . abentes palmas in manibus eorum* [1]) 15. 18.

De vocabulorum et verborum usu.

1. Vim pronominis *ipse* minutam esse iam inde apparet, quod saepissime occurrit: *maligni angeli dominati sunt ipsius* 18. 7; *erant allitus fluminis ipsius arbores* 22. 30; *arbores ille penitebant pro ipsis* 24. 29; *ipsi enim commaculaverunt plasma dei* 32. 36; *propter quod et ipsi solvunt penam* 33. 27; *et ipsi fleverunt* 34. 38; *ego agonizabo pro ipso* 35. 18; *qui cum ips*⟨*o*⟩ *sunt angeli* 36. 15; *vidi virginem . . . et ducentes angelos*

---

1) *eorum* supplevit m 2, nam hic versus in mg. laesus est; sed recte supplevisse videtur; cf. Graeca: ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν.

ante ipsam hymnos dicentes 37. 29; *vidi tres venientes et angelos ipsorum* 38. 19;

is pro articulo Graeco: *erat inicium eius fundamenti super flumen* 22. 11.

2. De particulis negativis.

et non pro *neque: advene non suscipientes neque oblacione offerentes et proximo non sunt miserti* 33. 17; *non cessant facientes iniquitatem . . . et non adferunt* 35. 13; *obviam vado eis et non dimitto* 38. 16; *C annos feci operans archam et non tundi comam* 41. 20; *qui contristaverit animam suam et non facit propriam voluntatem* 25. 28; *vulnerabant faciem eius . . . et non permiserunt eum dicere* 30. 6; *viduas et pauperes nocuerunt et non speraverunt* 31. 36; *inpedimenta mundi detenuerunt eos et non potuerunt rectum facere* 33. 20; *nihil negociati fuisemus et nullam iniquitatem fecissemus* 36. 26; *unusquisque abet proprium adsistentem et non recedit alter ab alio* 40. 31;

necdum = *nondum*[1]): *ploras cum aduc necdum videris maiora supplicia* 33. 34;

non — quidem: unam quidem orationem puram non facientes neque ex toto corde 14. 26;

nec = *ne*[2]): *si fuissem meae potestatis nec huna quidem die ministrassem tibi* 18. 15;

ut non = *ne: praecepit ut non cessemus* 18. 17.

Duae particulae negativae extant pag. 17. 18: *nec ego eam non contristabo*;

ne — neque: ne veriaris neque turberis 16. 32;

nec = *ne — quidem: et nec sic penituistis* 36. 7; *oracio nec una die pura ascendit* 33. 18.

3. De coniunctionibus.

Apodosis coniunctione *et* inchoatur: *et si iubes, domine,*

1) cf. Birt, Claudii Claudiani carmina, ind. verb.
2) cf. Claudianus in Rufinum II, 87.

et narro hactos eius 20. 12; *et quantascunque virtutes feci in medio illorum et non intellexerunt* 39. 23;

et = *sed: invocaverunt nomen tuum et inpedimenta mundi fecerunt eos miseros* 14. 25; *dedi vobis locum penitencie et noluistis* 36. 13;

enim = *et: nonnunquam enim luna et stelle interpellaverunt* 12. 13; *et alios viros usque ad umbiculum alios enim usque ad labia* 28. 27;

quasi = *fere: angeli quasi tria milia ymnum ante me dicentes erant* 24. 3; *erat profunditas quasi tria milia cubitorum* 29. 12.

Coniunctiones cumulatae sunt in locis his: *similiter etiam et spiritus processit*[1]) 16. 31; *frequenter etiam et terra exclamavit* 12. 36; *similiter etiam et hora matutina hoccurrunt* 13. 28; *multum etenim sol quidem . . .* 12. 5; *et adpraehenderunt enim vos actus vestri* 32. 29; *quia sola est enim magna civitas Christi* 24. 11; *ideo ergo confidere debemus* 40. 23;

ut quid = ἵνα τί[2]): *ut quid verbum emisimus de ore nostro* 23. 15.

Coniunctiones *quoadusque, quousque, dum adusque* in sententiis temporalibus saepe adhibentur:

quoadusque conve⟨rtantur⟩ 14. 30; *quoadusque deus deleret* 41. 31; *quoadusque horet* 42. 8;

quousque exiret 16. 21; *quousque veneris* 16. 33; *quousque peniteamini* 18. 18; *quousque terra producat* 35. 17; *quousque evadat iudicium* 35. 19; *usque quo moriatur* 20. 33; *usque quo occurrunt* 38. 16; *usque quo veniret* 40. 11; *usque quo moriar* 41. 7;

dum adusque peniteantur 12. 11; *dum adusque omitterent* 40. 6; *dum adusque convertantur* 12. 20. 29. 35, 13. 16; *dum adusque adoraret* 17. 6; *usque dum morirentur* 31. 16.

---

1) cf. Graeca: ὁμοίως δὲ καί.

2) cf. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten d. lat. Sprache pag. 116.

Addenda lexicis Latinis.[1])

canela (= canalis) 32. 1;
compsallere 28. 6. 9;
fleveo 39. 18;
(h)ilarere 21. 32[2]);
insordidare 41. 23[3]);
obquare 26. 28;
recesse 28. 13;
septentrionalis (subst.) 33. 36;
superlicium (= supercilium) 29. 5;
umbiculus (= umbilicus) 28. 27, 29. 1.

Postquam ex textu Parisino omnes fere locos notabiles sive ad barbarismos sive ad metaplasmos sive ad soloecismos pertinent enumeravimus, restat, ut inde coniecturam faciamus de tempore, quo fere haec apocalypsis s. Pauli interpretatio sit orta. Et primum quidem animum ad ea attendentes, quae in capitibus de orthographia et vocabulorum et verborum declinatione exhibitis congessimus et sub margine ex Schuchardtii aliorumque grammaticorum operibus collecticiis in comparationem vocavimus, nonnullas scribendi rationes iam saec. IV in usu fuisse videmus, plurimas vero ad saec. VI spectare, paucas tantum ad inferiorem aetatem; unde concludere licet archetypum codicis Parisini saec. VI esse conscriptum atque ea, quae serioris aetatis sunt vitia sermonis, librario ipsi saeculi VIII esse tribuenda; Parisini enim codicis scriptorem haud paucis locis suam scribendi rationem adhibuisse ex iis, quae supra (pag. 41 sq.) disserui, facile sentitur. Neque

1) cf. C. Weymann, Archiv f. lat. Lexikogr. u. Gramm. T. IX pag. 137 sqq.; *studenter*, quod Weymannus pag. 139 huic Apocalypsi deberi putabat, delendum est, cum in cod. extet *studentes*.

2) Fortasse *ilarens* error librarii est ex forma *gaudens*, quae antecedit, ortus; cf. supra p. 41.

3) De hoc verbo cf. Arch. f. lat. Lexikogr. u. Gramm. T. I pag. 283.

ea, quae in capite de dictionum constructione agente notabilia videbantur, huic sententiae repugnant.

Hanc apocalypsis s. Pauli interpretationem saec. VI fortasse iam saec. V esse ortam, quod modo conieci, aliunde quoque potest concludi: Graecum enim archetypum ca. 395 conscriptum esse Tischendorfius comprobavit[1]), hunc autem librum proximis temporibus diligenter lectitatum esse ex testimoniis Sozomeni et Augustini clare elucet; quare verisimile est saec. V aut VI interpretationem Latinam huius libri esse conscriptam; quae suspicio eo confirmatur, quod textus Parisinus ad formam archetypi Graeci proxime accedit, ceteri vero libri ab ea discrepant; quamobrem non dubium esse videtur, quin textus Parisinus, cum optime archetypi formam servaverit, etiam proxime ad aetatem illius libri accedat.

1) cf. Tischendorf, apocalypses apocryphae pag. XVI.

VITA

Natus sum *Eduardus Gotofredus Wieber*, Hofbieberanus, anno MDCCCLXXVIIII mensis Augusti die septimo decimo patre Hieronymo matre Maria e gente Goldbach, quorum illum morte mihi ereptum esse valde lugeo hanc superstitem esse magnopere gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Per octo annos frequentavi gymnasium Fuldense, ubi vere anni MDCCCLXXXXVIII maturitatis testimonium adeptus sum. A mense Aprili eiusdem anni per ter sex menses Fuldae studiis operam dedi philosophicis et theologicis. Deinde ut incumberem in studia philologa universitatem adii Wirceburgensem, quam post sex menses reliqui, ut ad academiam Monasteriensem transirem. Neque hic diutius sex mensibus commoratus Marpurgum Cattorum profectus sum, ubi per septem semestria scholas adii virorum doctissimorum *Birt, Cohen, Elster, Joseph, Maass, Natorp, Niese, Schroeder, Thiele, Wentzel.* Postquam per bis sex menses exercitationes proseminarii philologi frequentavi, insigni *Theodori Birtii* et *Ernesti Maassii* benevolentia in seminarium sum receptus eiusque fui sodalis per quattuor semestria. Praeterea per sex menses interfui exercitationibus Germanicis, quas moderabatur *Elster*, et per bis sex menses exercitationibus historicis, quibus praeerat *B. Niese.* Quibus viris omnibus gratias ago semperque habebo maximas, praecipue *Theodoro Birtio*, qui et ad hoc opusculum conscribendum me invitaverit et opera consilioque maxime me adiuverit.

PB 54709
22

WIEBER, Eduard
De Apocalypsis S.
Pauli codicibus.